BIBLIOTECA NAZ.
Vittorio Emanuele III
XL
G
17
NAPOLI

XL G 24 17

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

DASMONIS ANDRIACI

P. A.

(h. e. F. Ignatii a Cruce Augustiniani Excalc.)

EX XII. VIRIS COLLEGII ARCADICI,
ET COLONIAE ALETHINAE
VICE-CUSTODIS

P O E M A T A

POST VENETAM EDITIONEM NUNC ITERUM
NOVA ACCESSIONE RECUSA.

B. R.

N E A P O L I CIↃIↃCCLXXI.
Typis Manfredianis.
SUPERIORUM VENIA.

EXCELLENTISSIMO MARCHIONI

BERNARDO TANUSIO

SUPREMO IN REGNO GERENDO, REGUMQUE EXTERORUM NEGOTIIS EXPEDIUNDIS MINISTRO; SACRAE DOMUI, SACRISQUE VILLIS CURANDIS: TUM CURSUI PUBLICO, REGIISQUE THEATRIS PRAEFECTO: DIVI JANUARII, AUREAEQUE CLAVIS EQUITI, AC INTIMO CUBICULARIO

FERDINANDI IV.

UTRIUSQUE SICILIAE REGIS FELICISSIMI.

Dominicus Capaſſus Presbyter Eccleſiae Neapolitanae.

SI libellus hic carminum vix dum typographicâ perfunctus operâ ſtatim tuam ut in fidem, ac tutelam ſuſcipiatur, aliquanto audacior, quam par eſt, expoſcere videtur, ne quaeſo, Ampliſſime TANUSI, caſu id, aut temere, aut quâvis magis de cauſsâ factum accipias, quam profectum potius ex juſti, debitique officii neceſſitate. Cum enim ſcriptam olim Romae ab ANDRIACO Eclogam unam noſtrae Urbis laudibus diffluentem undique, ac redundantem Cl. Petrus Antonius Seraſſius tuo inſcriptam nomine prodi in publicum curaſſet; fieri vix potuit, quin eadem illa, ut quae libri hujus frontem occupaverat, cum ſe ſta-

Digitized by Google

tim tibi; tum quidquid erat ſcriptionis reliquae confidentius ſiſteret. Tametſi, Excellentiſſime TANUSI, ſunt ceteroqui rationes aliae, communes illae quidem, ac nullius propriae, quibus fit, ut ſi quid modo praeclarius noſtrorum ingenia extundant, ſi quid jam politiores literae hiſcere audeant, id totum quantum eſt, tibi debeatur, qui tum ob ſuſceptum abs Te earum patrocinium, cum ob ſingularem eruditionem tuam, tuas quodammodo effeciſti. Profecto ex quo Rex ille maximus, idemque ingeniorum aeſtimator acerrimus CAROLUS BORBONIUS Parmae, ubi tum forte commorabatur, de Te, ſapientiaque tua incredibili audiens, ſequi inde Neapolim Te, ſummoque apud ſe loco conſiſtere voluit, jam inde, inquam, ita fere cum bonis literis depactus videris, nullam ut tibi elabi de manibus occaſionem ſinas, quâ non eas, ſi qua poſſis, juves, exornes, ac foveas impenſiſſime. Atque, ut de Te ipſo nunc taceam, qui, ſi quod temporis intervallum e ſummis occupationibus ſurripere potes, totum id libris impalleſcis, ac Te in ſacratiſſimis penitiſſimae eruditionis adytis recipis: illud certe ſine piaculo praeterire quî poſſum, tuis artibus, tuâque apud CAROLUM Patrem, Filiumque ejus amantiſſimum FERDINANDUM IV. Reges noſtros ſapientiſſimos gratiâ, tanto nunc demum ſplendore ſqualentes jamdudum literas circumfuſas, ut jam ab eo praeſtrictae mentium acies nihil habeant potius, quam in hoc literarum omnium ſtadio quam effuſiſſimis habenis decurrere, tantâque cum majori alacritate, quod nullâ re magis unâ, quam hac ſtudiorum contentione delectari Reges noſtros intellexerint? Nimirum id ſibi tandem praeſtolabatur Neapolis, ut ſicut olim Pontano huc appellente longo barbaries ſqualore deterſo felicioris literaturae vultum inducere viſa eſt, ita Te per Regem providentiſſimum huc accito, conceptum vix olim optimarum artium ardorem nunc cum maxime novis incitamentis augeri, propagarique laetaretur. Quam quidem literatae Urbis expectationem non aequaſti modo, ſed longe etiam ſuperaſti. Cum enim CAROLUS REX, (quippe veterum Gazarum conquiſitor, cultorque ſtudioſiſſimus) obliteratae propemodum Romanae antiquitatis imaginem hic ut nobis obumbraret, ad eruderandum

Her-

Herculaneum Veſuvianis hactenus oppreſſum ruinis animum adjeciſſet ſuum, collatis illico per Te, laboreſque tuos hominum doctiſſimorum ſtudiis, qui effoſſa primo quaeque Cimelia commentariis illuſtrarent, opus Ipſe ingens, ac mirabile Herculanenſium Antiquitatum ſubinde perficiendum, Regioque typographio edendum curaſti; quo tamen opere an poſterorum bono magis, quam Neapolis ipſius celebritati conſulueris, ſatis decernere nequeo. Ita enim factum eſt, ut Urbs noſtra quamvis illuſtris antea, nunc per Te maxime ſermonibus exterarum Gentium, famaque ipſa late increbeſcente clareſcat magis in dies, ac longius per inſecuturas ſubinde aetates protendatur.

Jam vero (quod eſt alterum laudum tuarum caput) qui in hiſce rebus tam magnis, tamque praeclaris ita totus incumbis, quantum porro Te eſſe conſtat in defungendis partium tuarum muneribus? Sic enimvero cum virtutibus omnibus, quibus exornari Πολιτικοτερον Virum neceſſe eſt, rationes ipſe iniiſſe videris, ut cum alii ſatis habeant in una, alterave virtute mediocriter excellere; Tu contra longe progrediaris, atque unamquamque eatenus aſſequaris, vix ut ullam in Te deſiderari ſinas. Sane vero ecquae laus tanta eſſe poteſt, in qua non perinde excelleas, ac ſi a prima aetate nihil habueris praeterea, in quo te exerceres? Juſtitiam ne? Qui neque gratiâ umquam deliniri, neque opibus, aut aliâ quacumque re vel tantulum ab ſumma integritate diverti animum tuum patiaris? An modeſtiam, animique in ſummis honoribus temperantiam? Qui in tanta maximarum dignitatum amplitudine (quas etiam declinare, ſi quâ poſſes, non deſtitiſti) praeterquam quod nihil adhuc grave in quemquam unum ſtatuiſti, eâ praeterea es in omnes humanitate, ut cuivis pro virili prodeſſe cupias. Anne fidem in Reges noſtros? quibus hactenus in publicis negotiis expediendis operam tuam tam ſtrenue locaveris, ut qui primus dignitatis gradus, is tibi meta honorum omnium foret, non aliam profecto ob cauſſam, quam quod in unoquoque eorum continentiſſimus, ut ſi quis umquam, fueris? Quid porro dicam de ſollicitudine tua incredibili in publico omnium bono procurando, augendoque? Qui hanc optimam conſiliorum tuorum rationem ab tuis illis philoſophicis ſtudiis expreſſiſſe videris, ut id maximum laborum tuorum quaeſtum ducas, quammaxime alienis com-

modis

modis inſervire. Hinc inſomnes illae vigiliae, hinc conſtans aequitatis amor, hinc pertinax ſtudiorum graviſſimorum tenor, qui quidem ſub ipſam adoleſcentiam abs Te ſuſceptus, ne nunc quidem remittitur, cum jam affecta ingraveſcentis aetatis valetudine conflictaris; ut illud mirari ſubeat, quod aetatis ceteri mortalium otio, quietique dare licere ſibi credunt, id Te literis, ac ſeverioribus diſciplinis, nempe philoſophicis, unde omnis tua haec recte aliis providendi ratio hauritur, concedere, idque unum volupe, id honeſtum, id palmarium reputare. Niſi illud eſt, eſſe tibi id fixum, ſtatumque, tum demum praeclare nobiſcum agi, ſi quam vitam beneficio ſummi Numinis accepimus, eam aliorum commodo impendamus, ſic ut qui hominibus quovis modo praeſtant, eos ut beatiſſimi ſint, conſilio quidem, ac prudentia quantum poſſunt, adjuvent; opere vero, ac labore plus pene, quam poſſunt, enitantur. Neque vero id ſentis modo, verum, ſi qua juſta tibi ſe dedit occaſio, numeris etiam abſolvere ſategiſti. Occurſat adhuc animo, Excellentiſſime TANUSI, gravis illa, intolerandaque annonae caritas, qua ſeptem abhinc annos Urbem hanc, Regnumque reliquum premi ingemiſcebamus, cui tamen propulſandae non ante tibi a curis, ac laboribus temperaſti, quam convecta huc ab longinquis oris per Regem vigilantiſſimum affatim rei frumentariae copia, eam ſin minus gliſcentem primo, furentem certe, lateque debacchantem compeſceres.

Sed illud tamen, neſcio quo pacto de virtutibus tuis loquenti mihi exciderat, Te nimirum tua hac praecellenti ſapientia id demum in deferendis dignitatibus effeciſſe, ut ſi quid forte in illis improviſum, aut certe praefeſtinatum videbatur, id nulli rei magis, quam tuimet ipſius meritis acceptum omnes referrent. Nam primo, ut aditus tibi ad tot honores recluderetur, vix quidpiam aliud in cauſſa eſſe voluiſti, quam quantum tibi de virtutibus tuis ſperare licebat; poſtea vero, quam adeptus es, non praeclaros titulos, non opes, (quippe quae vix ullae ſunt) non, ſi quid tibi harum rerum ſuppetit praeterea, ad tutandos eos in partes advocaſti; quin potius in Te uno ſpes omnes ſitas cum velles, in id acrius enitendum tibi ſtatuiſti, ut quod

vir-

virtutis merito acceperas, id porro virtute ipſâ conſervares. Quod quam omni ex parte praeſtiteris, vel hoc documento eſſe poteſt, Te tamdiu, quoad inter nos vixeris, quamvis ſummis negotiis, et agendis, et ſuſtinendis implicareris, qui tamen aut laudibus invideret tuis, aut virtutibus obtrectaretur, habuiſſe neminem.

Atqui diu eſt, cum in omnium oculis verſaris, et quaſi hìc tibi theatrum ampliſſimum ad proludendum de ſumma laude datum eſſet, ita omnium in Te ora converſa ſunt. Quibus tamen cum jucundiſſimo, novoque hactenus ſpectaculo fueris, mirum non eſt, ſi ex quo in tantam exiſtimationis tuae dimicationem deſcenderis, nullus dum tibi palmam virtutum omnium inviderit; quin potius late hinc tui famâ ad exteros populos, Regumque maximorum Aulas perreptante omnium in Te admirationem conciveris. Quae quidem laus eo nunc tibi praeclarior eſſe debet, quod in tantum diſcrimen non ex condicto, ſed pene ex tempore proceſſiſti. Nam quî animum induceres tuum tantâ Te dignitatum omnium amplitudine potitum iri; quanta vix mortalium cuiquam in mentem veniſſet, ut apud Reges potentiſſimos ſummus adſidens Miniſter rebus diſficultate aſperrimis, multitudine prope infinitis unus praeficereris? Atqui in tantis negotiis, quae tua eſt virtus, vix quidpiam intercidit umquam, aut novum tibi, aut inauditum, aut omnino tale, quod Te ſive aſperitate ipſa exterreret, ſive multitudine opprimeret. Quamquam, ut ne quid taceam, multitudo illa negotiorum, quibus diſtineris horis omnibus, tibi non tam imparato, quam nec opinanti obveniſſe fatendum eſt. Quid enim inuſitatum tibi, qui leges, ac Veterum tabulas, tum quidquid eſt peritioris Juriſprudentiae plane diffuſum ita a prima aetate imbiberas, ut non temere hunc, qui dudum increbuit ſermo, circumferri putem, Te nihil praevidentem minus, ipſâ tamen ſummi Numinis providentiâ quaſi per gradus, ita per illa ſtudia ad hoc, cui nunc demum inſides, dignitatum omnium faſtigium evectum eſſe, ut ita deſtinatis tibi honoribus tam feliciter, ac ſapienter, quam qui maxime defungereris. Id autem ſi uſpiam alibi, in illis certe lucubrationibus tuis *De Amalphitanis Pandectis* deprehendere licet. Ad quas quidem quum primo ita acceſſiſſes, quaſi brevi manum e tabula,

quod

quod ajunt, ablaturus, mox aliud ex alio extundendi lubidine abreptus, ita deinceps in utrarumque Siciliarum originibus eruderandis penitus Te dedidiſti, ut cum omnia quaecumque huc, illuc luſtrando, rimandoque corradi poterant, collegiſſes, nihil propius factum fuerit, quam ut juſtas rerum noſtrarum hiſtorias Neapolitanis tuis praeſcriberes. Et mirum cuiquam porro videbitur, ſi Te quaſi Numinis ipſius, ſic Regis providentiſſimi juſſu huc arceſſitum omnium ora depraedicent? aut ſi tibi pro tua ſingulari integritate, ac fide in publicis negotiis, iiſque impeditiſſimis ſtrenue conficiendis a Rege Auguſto CAROLO BORBONIO honos habitus ſit tantus; quantus haud ſcimus an nemini? Qui hoc etiam praeclare tecum actum voluit, ubi, longe hinc ipſe ad interminatas Hiſpanicorum Regnorum plagas profecturus, (percellit adhuc animum conceptus pridem ex tanti Regis noſtri diſceſſione luctus, ac maeror) quo Populorum ſuorum dolori mederetur, tibi maxime ex delectis X. Viris cum laborioſas curas, tum etiam Filium ſuum, FERDINANDUM IV., quem amabat impenſius, concredidit. Atque ille quidem, quippe egregiâ indole praeditus ſollertiſſimis ad haec curis tuis, ſic praecoci mox incremento, in matureſcentem ad aſperrima quaeque animum adolevit, ut, ſicuti nunc ſe dant initia, talem eum propediem fore ſperemus, qui Parenti amantiſſimo per omnia ſimilis, paterni etiam imperii temperantiſſimum, ac nuſquam non aequabilem tenorem referat. Nimirum unum id, Ampliſſime TANUSI, laudibus tuis deeſſe videbatur, ut quoniam tua Te virtus immortalem mortales inter dum viveres, effeciſſet, eadem immortalibus adhuc Te honoribus apud poſteros perennaret. Quod quidem ſi antea augurari de Te, nunc certe adfirmare licet, cum jam amantiſſimi Regis noſtri clementiam, juſtitiam, pietatem, virtuteſque reliquas coram experimur, jamque in ſpem ingentem erigimur feliciter, fortunateque de ſumma rerum in poſterum ominandi. Sed vero, ut ne ultra in tuas laudes diffundar, finis ſit. Ante tamen D. O. M. adprecari liceat, ut Te Regis noſtri conſiliis obſequentem, Civium incolumitati, Siciliarumque ſaluti, ac bono velificantem quam diutiſſime ſoſpitet, fortunetque.

DO-

Datum Neap oli anno CIƆIƆCCLXXI. XII. *Kal. Sextiles.*

DOMINICUS CAPASSUS

ΦΙΛΟΜΟΥΣΟΙΣ.

Carminum ſat mediocri volumini Προλογον, ut fieri aſſolet, ac quendam quaſi inſequentis argumenti apparatum in ipſo veſtibulo praeſcripturus, ſi poëticis ſtudiis commendandis immorabor diutius, vereor, ne non aut intempeſtivâ laudatione faſtidientes aures moleſtus obtundam; aut nimium injurioſus praeclariſſimis Scriptoribus videar; qui, ut nihil ultra ſuppetat, quod huic rei addi queat, ſuis laboribus effecerunt. Quare huic curae aliquid profecto gravius, ac ejuſmodi, quod Auctoris exiſtimationis nonnihil intereſſet, jure praevertendum cenſui. Tenuit enim quorundam animum neſcio quid de Poëſi opinionis incommodae, ut eam Chriſtiano homini prorſus interdictam effutiant, ac, ſi fieri poſſet, e manibus etiam noſtris evelli, extorquerique vellent. Quod quidem cum per ſe grave ſit, ac injurioſum, tum graviſſimum pleriſque videbitur, ubi primum Daſmonem hunc Andriacum, quod nominis in adverſâ libri fronte viſitur, eum eſſe reſciverint, quem Excalceatae Eremitarum Auguſtinienſium Familiae addictum, ac inter eos Ignatium a Cruce ſat noto cognomento dictum, cum univerſa Italia, tum noſtra haec Urbs Fideliſſima Oratorem egregium, ac vero etiam Theologum eximium demiratur. Verum ſi paulliſper non ab praejudicatis opinionibus agi, ferrique animum ſinamus, vix erit, quod his quiſpiam magnopere moveatur. Si enim de rei ipſius argumento agitur, id eſt ejuſmodi, ut cum ad maxima quaeque, ac graviſſima late pertingat, tum neminem, quominus in iis exerceat ingenium, excludat. Quod ſi exemplis certandum ſit, habet enimvero Andriacus, quorum veſtigiis haereat, viros praeclariſſimos, ac de Chriſtianâ Republicâ optime meritos.

Atque ad horum prius, quod attinet, neminem eſſe arbitror, qui neget, unum hoc bonarum artium genus, Poëſim inquam, in eo potiſſimum verſari, atque hanc unam ejus inveniendae cauſſam fuiſſe, ut res maximas, tum ad Religionem, tum ad Religionis auctorem

Deum pertinentes, complecteretur. Eſt id toties ab ſapientiſſimis Viris ad ravim, quod ajunt, uſque inclamatum, ut verear, ne, ſi hîc iterum repetam, operam abutar nec meo quidem judicio neceſſariam, et aliorum fortaſſe etiam praepoſteram. Sed illud tamen dictum vix umquam ſatis, vetuſtiſſimos ſcilicet poëtas longe ab molli illâ, inverecundâque, ut nunc eſt, poëſi abhorrentes, hac dumtaxat curâ quam religioſiſſime perfunctos, ut, ne latum quidem unguem, ab eo muneris diſcederent, quod Poëſeos originarium, ac prorſus οικειον eſſe dicimus, ut nempe Deo potiſſimum, aut certe proxime ad Deum immortalem accedentibus virtute hominibus ejus uſus impenderetur. Hinc merito apud veteres eoſdem fuiſſe Theologos, qui Poëtae, traditum ab pleriſque, Tullio praeſertim *Orat. pro Arch. P.*, ac Plutarcho, cujus exſtat praeclare illud dictum *lib. V. Cap. 6.* Unos Poëtas, ut ab nimiâ, effraenique naturalium cauſſarum indagine temperarent mortales, ſuis demum carminibus effeciſſe commune illud in difficillimis quibuſque quaeſtionibus occinentes:

Ζευς αρχη, Ζευς μεσσα, Διος δ᾽ εκ παντα τετυκται.

Haec ille, qui, ut graecum hominem decebat, graeci poëtae auctoritate uſus eſt. Sed enim nec Latinis Vatibus ea latuit ſententia, quorum ut multos omiſerim, Virgilium certe ne non hîc commemorem, res ipſa efflagitat. Quam enim hic non plane θεολογιζει ſexcentis fere in locis? ut nihil minus a me quiſpiam expectare debeat, quam ut ſigillatim ea prodantur: ita ſunt multiplicia, ac frequentia, et quae plane in oculos incurrunt. Hinc frequens illa apud eundem Deorum, Dearumque adprecatio, ubi difficile explicatu argumentum ſe objiceret: hinc adtributum Jovi ſemel, atque iterum ſummum in Naturam, hominesque ipſos imperium: hinc denique repetitae ſaepè ab Diis immortalibus latentes rerum difficillimarum origines. Cujus etiam rei, quam poſtremo dixi, memorabilis, et quovis aere perennior exſtat ſententia apud Lucanum *lib. I. v. 417.* ubi marinae Aeſtuationis Deum malle ſe cauſſam dicere, quam quidvis aliud divinando comminiſci, fatetur ingenue illis verbis:

Quaerite, quos agitat Mundi labor; at mihi ſemper,
Tu, quaecumque moves tam crebros, Cauſſa, meatus,
Ut ſuperi voluere, late.....

Exſtant adhuc alia aliorum Poëtarum his ſimilia loca, ut merito Poëtis τον θεον απο μηχανης, quod ajunt, ſemper praeſto eſſe credatur. Quae cum vera eſſe per ſe quiſque ſentiet, tum dandam eſſe hanc veteribus veniam facile ſibi perſuadebit, ut poëtas ſuos, ab ſacrâ, divi-

vinâque Poëſeos arte, cui ſtudebant, modo ſanctos, ac Sacerdotes, quandoque etiam divinos, divinoque ſpiritu afflatos honorificis nominibus appellaverint. Tantam adeo ſublimioris hujus, ac prorſus divinae artis excellentiam praeconceperant animo.

At nae ego ſtultus, qui profanorum hominum monumenta perſequar, quaſi vero non ad ejus, quod volumus, commendationem luculentiora argumenta nobis ſufficiant. Ecquem enim latet, hanc unam inter ceteras honeſtiores diſciplinas Deum ipſum Auctorem nactam eſſe? Proſtat quidem *Deut. Cap. XXXII.* illuſtre, divinumque carmen vividis rerum imaginibus, poëticiſque ornamentis undequaque perfectum. At carminis hujus Auctorem neminem alium, praeter quam Deum ſi dixero, nolo mihi fidem haberi, ſed ſacris id teſtantibus literis, *Cap. XXXI. v.* 18., (1) ubi, quod Deus vellet inſequuturis aetatibus ſuum erga Hebraeos ſtudium impenſiſſimum perpetuo teſtatum iri, carmen ab ſe dictatum publicis adverſariis referri imperat Moſi iis verbis, ut jam nihil quicquam ne mutire quidem, nedum inſolentius obſtrepere audeat, ſi quis eſt in poëſim paullulum voluntate *καχικτης*. Omitto hîc Moſis ipſius, ac Jobi cantica; Davidis *Ὑμνῳδιῶν*, Salomonis, ceterorumque inter Judaeos *Πνευστικῶν* hominum carmina, quae ut revera metro aliquo concluſa credam, minimeque id aegre ferenti Scaligero adſentiar, facit Joſephi imprimis, tum Origenis, atque Hieronymi auctoritas, *Praef. in Cron. Euſ.* qui, ut propius ab Hebraicae Reipublicae temporibus aberant, eo certiora hac de re nobis prodiderunt, nondum obſoletâ per temporum diſpendia vernaculi Judaeorum ſermonis memoriâ. Sed illud unum tamen nequicquam praetereundum, per id temporis, quo Hebraeorum Reſpublica duce Moſe coaluit, ſtetitque porro integris viribus, tanti habitam Poëſim

 ab

(1) *Scribite vobis*, inquit, *canticum iſtud* (Audite coeli, quae loquor), *et docete omnes filios Iſraël, ut memoriter teneant, et ore decantent, et ſit mihi pro teſtimonio inter Filios Iſraël.* Egregium ſane, ac omnino *Θειον* Poëſeos elogium, ex quo jucunditatis, ac laetitiae tantum percipiant poëtices amatores, quantum vix animo concipi poſſit. Illud interim ne pigeat quaſi per ſaturam, ut ajunt, indigitaſſe, poëſim, ſi vel ad unum hunc locum reſpicias, Religionis ipſius velut adminiſtram, atque adjutricem merito olim habitam fuiſſe. Quod quidem ab Deo primum hic factum, tum ab divinis Hebraeorum Vatibus retentum, ad extremum vel ab ipſis Ethnicis legiſlatoribus uſurpatum fuit. Certe Orpheum non aliter, quam carminibus homines feroces jampridem, atque efferatos ad ſocietatem, atque adeo Religionem inlexiſſe tradit Horat. de Art. P. Numa item Pompilius, Romanorum ut animis altius religionem ingereret, maximam vim poëticis cantilenis ineſſe ratus, Salios per urbem ire canentes carmina cum tripudiis, ſolleniique ſaltatu juſſit. *Liv. lib. I. Cap. 7.*

ab Ethnicis quoque Palaeſtinae incolis, non ſolum ab Judaeis ipſis, ut cujuſque Gentis Poëtarum carmina ultro, citroque ad proximos Populos, non ſecus, quam noſtrâ hac aetate fieri videmus, tranſmitteretur. Ac mihi certe ejus rei ſat illuſtre monumentum, nec opinanti quidem, occurrit *Num.* XXI. v. 27., ubi divinus Scriptor Moſes editum ab Amorrhaeo Poëtâ carmen, quod illatae Moabitis ab ſuis contribulibus cladis quoddam quaſi tripudium continebat, pro re natâ, quantum potuit, laudavit, ut etiam ſacris libris inſerere non recuſaverit, nihil admodum nec generis, nec Religionis diſparem conditionem moratus. Erat vero carmen illud a Moſe, uſitatiſſimo inter Hebraeos vocabulo, *Proverbium* dictum, quaſi Carmen Επινικιον, cujuſmodi aut plane, aut ferme ſimilia pleraque in Graecis Tragoedis videre eſt; ac prorſus quale laetum ſe inter laetos cantaturum ſequenti die pollicitabatur Nero apud Suetonium *Cap.* XLIII.

Jam vero eo loci cum ſteterit per Hebraeos Poëſeos dignitas, ipſam nec minimam gradus ſui jacturam feciſſe ſub Chriſtianorum tempora; contraque vero, novo decore, noviſque incrementis auctam latius percrebuiſſe, non eſt, cur dubitemus. Crevit enimvero tum magis in dies, cum, ſuccreſcente ſenſim Chriſtianâ Religione, prolatoque ad miraculum Chriſti imperio, ſacrae Poëſeos quoque uſum, ac neceſſitatem ad ſemotiſſimas Urbes, diſſitaſque linguâ, et moribus nationes pertingere neceſſe fuerit. Ecquando enim ſacrae Συναξεις conventus haberi licuit, in quibus non conditis de induſtriâ carminibus laudes Deo perſolverentur? Aut ecquod fuit antrum tam abruptum, ac praeceps, quod, ſi eo ſe recepiſſent Fideles, non odis, atque hymnis nocte concubiâ perſonuerit, alternis ſuccinente choro? Nolo hîc infinita propemodum, quae vel incurioſo cuique ultro ſe ſe offerunt, monumenta exſcribere. Duos tamen prae ceteris Lucianum, inquam, ac Plinium Caecilianum, neque aliam profecto ob cauſſam, quam quod noſtris ipſi fuerint infenſiſſimi, teſtes producam. Ergo ille in eo, quem adverſus Majores noſtros conſcripſit, dicaciſſimo ſane, ac nullibi non inſolenti Dialogo, cui Φιλοπατρις titulum fecit, Critiam quendam comminiſcitur, qui in Chriſtianorum concionem ubi caſu ſe introductum dixiſſet, ac pleraque arcana noſtratum dogmata deſtertuiſſet, poſtremo et illud culpat, ſolitos eos vietos, ac macilentos plures ſubinde dies impaſtos agere, interea dum noctibus integre evigilatis, hymnos decantarent: Ελεγον γαρ [Chriſtiani ſcilicet] ηλιους δεκα ασιτοι διαμενουμεν. και επι παννυχους υμνῳδιας επαγρυπνουντες .... Plinius autem Junior Epiſtolâ XCVII. ad Trajanum datâ, ita fere de Chriſtianorum hymnodiâ loquitur, nihil ut hac eis antiquius fuiſſe, merito

rito quis inde ſuſpicetur. Tormentis enim acerbiſſimis diu vexatis, niſi hanc confeſſionem, vix quidpiam aliud ab eis extundi potuit: hanc eſſe ut dicerent omnes, *ſummam vel culpae ſuae, vel erroris, quod ſtato die* [Dominicum puta] *ante lucem convenirent, carmenque Chriſto, quaſi Deo dicerent*. Hoc porro Carminum genere, quae recte Legitima, ac Neceſſaria dixeris, antiquiſſimos Chriſtianorum Poëtas impenſius delectatos ad Chriſti Θεότητα pro ſuâ quemque facultate depraedicandam tradit *Euſebius Pamph. lib. V. Hiſt. Eccl.*, cui etiam pleraque inibi laciniosa carminum hujuſmodi fragmenta exſcribuntur.

Quamquam, ut ne quid divinae Poëſeos commendationi reliquum per me fiat, non ſolum hanc eccleſiaſtico uſu, communique maximorum Patrum judicio receptam, firmatamque, ſed Apoſtolicâ etiam Magni Paulli ſanctione praeceptam crediderim, *Ep. ad Coloſſ. Cap. IV. v. 16.* ubi Chriſtianos ψαλμοις, ϗ υμνοις, ϗ ωδαις πνευματικαις exerceri pervelle ſe ſignificat, quo vehementius ad Religionem quaſi ſtimulis, ita ſacris carminibus decantandis inflammarentur. Quo minus igitur mirari quiſpiam debet, ſi Andriacum quoque ſub primos ferveſcentis aetatis annos non minima haec cura inceſſerit, ut ingenium ſuâpte naturâ poëtico ſpiritu temperatum, artis quoque ſubſidio non parum excultum in ſacrâ Poëſi paullo liberius vagari ſiverit. Ecquis enim non recte factum id dicat, quod omnium retro aetatum uſu receptum, clariſſimorum praeterea, ac ſanctitate illuſtrium Patrum Nazianzeni, Ambroſii, Paullini, Proſperi, ac Prudentii exemplis obtinuit? Quamquam nec graviſſimis interim diſciplinis defuiſſe eum putandum eſt, ut quidquid in re poëticâ proluſerit, non tam diuturnioribus curis adlaboratum, quam ereptum e ſummis occupationibus videatur. Accedebant etiam illuſtrium Poëtarum exempla. Id enim ei natale ſolum ſortito obtigit, quod ſive caſu, ſive coeli ipſius naturâ ſublimium ingeniorum feraciſſimum, Poëtas maximos aut progenuit, aut certe aluit, fovitque. Ecquem enim, ut mittam vetuſtiores, Horatium ex Venuſio, Ovidium ex Sulmone, Silium Italicum, ac Statium Romanae poëſeos laude praeſtantiſſimos, quos Neapolitani coeli clementiae unice acceptos referimus; ecquem, inquam, latent ingentia illa nobilium Poëtarum nomina Pontani [2], Synceri, Capicii, Joannis Ma-

(2) Quod ſuperne de Pontano ſcribimus, nolim durius dictum accipias. Neque enim ita eum in Poëtarum Neapolitanorum cenſum retulimus, ut ſi hic in lucem editus, patriam habuerit Neapolim: ſed id propterea factum a me fuit, quod quum Juvenis admodum, atque vix dum viginti, et unum annos natus huc commigrarit, eum civitatis jure donari poſſe credidimus. Ceterum Cereto oriundum ipſum non ignoramus. Vid. cl. Robertum de Sarno ejus Βιογράφον, tum Bernardinum Tafurium in *de Script. Neap.*

Marini, tum Giannattaſii, Quintii, Joſephi Aurelii, Nicolai Capaſſi, ac omnium recentiſſimi Symmachi Mazochii [cujus Carminum dudum ſperatam συλλογην utinam non poſteris invideat oblivio!]? Haec igitur tot, tamque illuſtria elegantioris poëſeos ſpecimina ſemel cujuſque objecta animo cum plurimum habeant incitamentum ad ſimilia ſibi decora comparanda; tum Andriaco tantorum Poëtarum civi ſtudioſiſſimo, ſponte ceteroquin ſuâ Poëſeos ſtudio abrepto calcaria admoviſſe, non eſt, cur miremur.

Sed jam longius multo, quam animo praeceperam, proceſſiſſe me ſentio. Reſtat nunc, ut quae horum carminum edendorum cauſſa fuerit, breviter expediam. Neque enim, haec ut edi facultas eſſet, ab Andriaco impetrare umquam potuiſſemus, niſi illud reſtitanti maximum incommodum viſum eſſet, eadem haec Venetis typis evulgata σφαλμασι pluribus undequaque diffluere. Incurioſus enim editor, cum ea ex Arcadicorum Poëmatum collectionibus, ut erant huc illuc ſparſa, excerpſiſſet, ſic porro negligenter cum operis typographicis rem tranſegit, ut nihil minus, quam editionis elegantiam curaſſe viſus ſit. Quamobrem factum, ut foediſſima, ac miſere dilacerata in lucem prodirent. Quod ubi Andriaco perſuaſum fuit, tum demum expugnari animum ſuum paſſus eſt. Itaque quominus emendatioribus typis committerentur, non recuſavit. Id autem an ex voto proceſſerit, alii viderint. Lecturos interim de novis acceſſionibus monitos volumus. Binas enim Orationes ad calcem adtexere libuit, quas extorres hactenus, vaganteſque, ut hic eis tutam ſedem concederemus, facit imprimis acre judicium Joannis Lamii, cui in Florentinis Ephemeridibus laudantur impenſiſſime.

Tum in ipsâ libri fronte Eclogam unam proſtare voluimus Romae editam anno CIↃIↃCCLVIII. caſtigatiſſimis Paliarinorum typis, Petri Antonii Seraſſii Viri Cl. accedentibus curis. Hanc ille, quod duarum maximarum Urbium, Romae, inquam, ac Neapolis, tum nobilium Neapolitanorum Poëtarum laudes novo quidem, ſed Theocrito ſat familiari metri genere contineret, poſterorum memoriae publice conſignatam voluit, praefixo ad frontem Excell. BERNARDI TANUSII nomine nunquam neque hominum literis, neque praeclare geſtorum memoriâ obliterando. Hac igitur quantivis pretii ſcriptione, ne Neapolitana careret editio, religioni duximus. En quamobrem id qualecumque eſt operis, ac laboris, ſuſceperimus. Tu interim, Φιλομουσε lector, his utere, ſi lubet: atque eam, quae adverſâ ſe tibi paginâ offert, Eclogam unam in Neapolitanae Urbis laudes ſane quam effuſiſſimam aequi, bonique conſulito. Vale.

DAS-

Digitized by Google

DASMONIS ANDRIACI P. A.

E C L O G A

* REDITUS IN URBEM

Daſmon, Riviſcus.

ECCE iterum Arcadiae ſilvas, tacitoſque receſſus
Parrhaſii, doctis habitataque prata Camoenis,
Alphaeique undas, et Panos templa reviſo.
Salvete Arcadicis praeſentia Numina campis,
Salvete o noſtris optata mapalia votis:
Tuque o dulce ſolum, ſacris memorabile Vatum;
Cara mihi ante omnes, patriae ſi ceſſeris uni
Seu maris Hadriaci, ſeu me Sebethidos undae,
Seu Prochyte, Inarimeque, aut Pauſylipi ora tenerent,
Sole ſub ardenti, per amica ſilentia noctis;
Seu ſolus colles inter, lituſque vagarer,
Seu caris item circumſtipatus amicis,
Pectore te ſemper, te ſemper in ore, mearum
Curarum, et ſtudii lenimen dulce ferebam.
Sed qui feſtine mihi ſit nunc obvius? ob en
Riviſcus; Paſtor ſatis eſt mihi cognitus iſte
Ex habitu, inceſſu, admotoque ad lumina vitro.
O nimium dilecte mihi, dilecte Camoenis,
Parrhaſiique decus, paſtor dulciſſime, ſalve.
Riv. *Numina te, Daſmon, fortunent, teque ſecundent:*
Expectatus ades nobis; Miraeus, et omnis,

Te

* Habita Romae in Nemore Parrhaſio ad Janiculum IV. Idus ſextil. An. CIↃIↃCCLVII.

Te chorus Arcadiae deſiderat: ecce refulſit
Lux, quâ Parrhaſiae reſerantur limina ſilvae,
Ac tua Miraeus depoſcit carmina, et uſque ad
Flagitium, ravimque petit: per Numina Daſmon,
Irrequietus ait, per Olympica Numina, nondum
Et patriae fines, et dulcia rura reliquit.
Hem quid agam? Arcadicum quî poſſim indicere coetum?
Illum ego.... Sed motam praeſtat componere bilem.
Haec ait, incenditque illi calor igneus ora.
Daſ. *Crediderim ne iraſci hominem ſine felle, columbas*
Qui miti ingenio, blandis et moribus anteit?
Crediderim ne etiam, fieri hîc mea carmina tanti,
Sollemnem ut vatum conventum demorer unus?
Praeteriere dies, iſtas cum laetus ad umbras,
Arcadiâ dignum modularer arundine carmen.
Nunc me pertaeſum Muſas, curiſque gravatum,
Atque iter emenſum quâ quâ patet Itala tellus,
Expertumque diu maleſano in corpore vires
Otia blanda juvant: haec dat mihi ſola ſuorum
Parthenope vatum mater ſtudioſa, ubi Neſis,
Bajarumque ſinus, vitreae Crateris et undae,
Et ſcopuli, Miſene, tui, colleſque Dicarchi.
O ubi Pauſylipus, Megareque, et Olympia tractu
Producta immenſo! o ubi candida Mergelline!
O quis Synceri ad manes, maneſque Maronis
Me ſiſtat! forte hîc, ubi ſpirant molliter aurae,
Muſcus ubi gratum de cautibus halat odorem,
Mixta ederis myrtus veſtit pallentibus antra,
Roſcidus eque cavis diſtillat rupibus humor;
Criſpanturque levi ſcopuloſi murmure fluctus,
Dum cymbâ incipiunt celeres curſare per undas,
Dum pueri tentant delphina laceſſere curſu,
Dum rauca ardenti reſonat ſub ſole cicada,

Lon-

Longe ego pulſarem reſonantibus aequora conchis,
Et canerem vatum divino percitus oeſtro,
Alta tropaea ducum, horrendi fera praelia Martis.
Jurgia paſtorum, piſcatorumque querelas.
O quis Leucopetrae ad ſcopulos, oramque Retinae
Omnibus expertem curis me ſiſtat, et urbis
Rudera ad Herculeae! modo quam REX providus arte
Detegit, atque, ipſo multum indignante Veſevo,
Eripit e foedis poſt ſecula longa ruinis.
Oh quae conſpicerem! proh quot monumenta Quiritûm
Sacra vetuſtati! Scrutarer, quod vetus aetas
Obruerat tenebris, in apricum ſed modo profert
Noſtra, jubens ſerum vitam producere in aevum
Auſpice BORBONIO. *Quis enim haud miretur equeſtre*
Artis opus veteris ſimulacrum nobile, Marco
Quod Nonio Balbo Herculei cives posuere?
Forte ego detegerem ſcrutator temporis acti,
Quae mutilata notant ſapientûm marmora, quorum
Effigies, quae tot conroſa rubigine multâ,
Sparſa vireſcenti et molli lanugine circum,
Antiquo perhibent percuſſa numiſmata praelo.
Forte ego detegerem ſinuoſa theatra, figuras
Heroum, Divûmque Idaeo in marmore ſculptas,
Fuſa Corinthiacis dudum ſimulacra metallis,
Invida quae petiit dente aurea ſigna vetuſtas:
Vaſcula, ſiſtra, aras, tripodas, muſiva, columnas.
Votivas tabulas, cultros, cippoſque, lucernas,
Et ſexcenta operis rara inſtrumenta vetuſti,
Divorum ſacris, atque uſibus apta profanis;
Carmine complecti quorum ſi ſingula vellem,
Ante diem ſero componet veſper olympo.
Quod magis optandum, fortaſſe daretur et illa
Artis Apellaeae miracula poſſe tueri
Integra adhuc rerum veras imitantia formas,

Templa, aedes, fructus, flores, arbuſta, volucres,
Heroas, Satyros, Centauros, Numina, Nymphas.
Multiplices Genios, praeclara et geſta Deorum,
Et mendax olim quae finxit Graecia, quaeque
Geſſerunt fortes magnâ cum laude Quirites.
Tum quae Grajugenûm referunt oracla ſophorum,
Undique deterſo ſenio turpante replictas
Scrutarer veteres, attentâ mente, papyros.
Haec ego mirarer. Nec te, BERNARDE, (1) ſilerem
Interea, Hetruſcae lux o clariſſima gentis.
Quem ſibi jamdudum a puero ſuſcepit alendum
Diva Themis, fovitque ſinu, legumque ſuarum,
Blanda velut nutrix, ſenſim inſpiravit amorem.
Hinc Recti comes illa tenax, et neſcia flecti
Seu prece, ſeu donis, blandae ſeu murmure laudis.
Hinc nullis animi vigor ille laboribus impar,
Inque omnes intenta vigil prudentia caſus.
Dignus, cui rerum molem REX optimus omnem
Imponat, curaſque graves, arcanaque credat
Conſilia, expertus nullâ non parte fidelem.
At, quum ſuſtineas tot, tantaque munera ſolus;
Herculeum dum ferves opus tellure ſub altâ,
Emerguntque aevi monumenta inſignia priſci;
Hanc etiam in laudis partem, magnique laboris
Rite vocatus ades. Nam ſedulus eruta paſſim
Tot ſigna Herculeis, Romanave, Graecave ſaxis
Dirigere, aeterniſque paras committere chartis.
O age, rumpe moras: communibus annue votis.
Curas pone alias, feſtines edere magnum
Quod meditaris opus: ſapientûm Publica Res Te
Laudabit, nomenque tuum ſuper aethera tollet.

Urbs

(1) Excellentiſſimus BERNARDUS TANUSIUS adhuc dum haec ſcribebantur a ſecretis Gratiae, et Juſtitiae, tum a penitioribus conſiliis Caroli Siciliae utriuſque Regis.

Digitized by Google

Urbs ipſa Herculea, ipſa etiam ſimulacra, columnae,
Marmoraque, et tabulae, monumentaque cetera Grajûm,
Et Romanorum, rapido quae Veſbius olim
Igne abſorbuerat, per Te nunc reddita luci,
Undique, cum priſcae renovant miracula formae,
Te vitae auctorem, rapiunt quam ſecula, dicunt.
Quid multis, paſtor? Regis Muſaea viderem
Splendida, et illuſtrem tot ſignis Pinacothecam;
Tum Pario incidi curarem haec carmina ſaxo:
REGIA BORBONII MENS TRAXIT AB IGNE VESEVI,
ATQUE HEIC HERCULEAE MONUMENTUM CONDIDIT URBIS.
Pulchra o Parthenope! o ſedes gratiſſima Muſis!
O nunquam ſine fruge ſolum, Campania felix!
O noſtrae regionis opes! o Antiniani
Frugiferi colles, villaeque, o florida rura!
Felix, qui ſtudiis valeat, curiſque ſolutus
Ducere vos circum tranquilla per otia vitam.
Riv. *Parcius, o nimium Patriae concedis amori.*
Sola ne Parthenope, ſolus tibi ſemper in ore
Pauſylipus, Megareque, et candida Mergelline?
Non ultra patiar; jactat quoque Roma vetuſti
Delicias Latii, et veterum monumenta Quiritûm:
Undique ſparſa jacent per compita, perque potentûm
Atria, et innumeros cernuntur ſparſa per hortos.
Nos quoque felicem traquilla per otia vitam
Ducimus, atque inter ſilvas, per florea rura
Laeta ſitu aprico, et pulchris ſpatioſa viretis
Erramus laeti, et coelo gaudemus amaeno.
Ergo age, ne doleas, rerum dulciſſime, felix
Vivere et hic etiam poteris, dicique beatus.
Sed quid opus multis? paſcunt dum prata capellae,
Dum Leo Parrhaſiis inſultans aeſtifer agris
Omnia comburit, campos, armenta, colonos,
Hic, ubi ſtant molles aurae, quà ſilva vireſcit,

Digitized by Google

Quà ludunt Zephyrorum inter myrteta ſuſurri;
Hìc, ubi ſacra Jovi quercus, gratiſſima Phoebo
Et laurus patulis texunt umbracula ramis,
Paulliſper dulci mecum requieſce ſub umbrâ,
Et ſimul agreſti meditemur arundine verſus.
Daſ. Ergo age, ſi placeat, modulemur arundine carmen.
Cantibus at quae materies? nova carmina, paſtor,
Experiare precor, conſuetâ et lege relictâ,
Si quid Bucolicis conceſſum invertere Muſis,
Non prius audito alternemus carmina metro.
Riv. Haud renuo: nova ſaepe placent; licet obſtet et uſus,
Et lex impediat, ſi laudent Arcades, uſus
In legem paullatim ierit, lex priſca ſilebit.
Tu Romam, Daſnon, ne dedigneris avenâ
Tollere, Parthenopes ego perſequar ordine laudes.
Phoebe Pater, tua cura ſumus; cantantibus adſis.
Daſ. Numen adeſt: mens aucta novo ſeſe exſerit oeſtro.
Dulcia ſponte fluunt carmina, Numen adeſt.
O Roma, auguſtum, ſacrum, venerabile nomen,
Si te homines, magni non poſuere Dii:
Id tua laus potior: nil mirum numina tantum
Poſſe, ſed eſt mirum talia poſſe homines.
Adde, quod urbs quaevis manibus fabricata Deorum
Corruit; imperio aſt, Roma, perennis eris.
Magna ſonaturum o quibus eſt os, grandior et mens,
Arcades, o urbi plaudite Romulidûm.
Riv. Numen adeſt, mens aucta novo ſe ſe exſerit oeſtro.
Dulcia ſponte fluunt carmina, Numen adeſt.
Parthenope excelſum, magnum, memorabile nomen,
Si te Italo ponunt litore Grajugenae:
Non te poeniteat, duplici quin ſorte beata
Egregium poteris tollere ad aſtra caput.
Nam decora Italiae, nam quidquid Graecia jactat
Sola tenes, armis inclyta, et ingeniis.

Ma-

Magna ſonaturum o quibus eſt os, grandior et mens,
Arcades, o Urbi plaudite Parthenopes.
Daf. *Urbs o Romulidûm ſplendida perpete*
Divûm praeſidio, atque omine dextero,
Felix prae reliquis urbibus, inclyta
Heroum genitrix, o age, Martiâ,
Quid ceſſas? galeâ te exue, et horridam
Haſtam fulmineâ projice dexterâ;
Major nam veteri te inſuperabilis
Nunc cultu decorat gloria fulgido,
Et clara auſpiciis nunc melioribus
Effulges titulis ſplendidior novis.
Olim jam domitis undique gentibus,
Si victrix aquilas, ſignaque bellica
Duxiſti, imperii et ſceptra potentia
Trans Indos, Arabas, et mare Creticum:
En nunc Relligio vi ſine Martiâ
Armorum, populos, regnaque ſubdidit;
Et ſedes Fidei, atque aetheris arbitra
Delecta, innumeris gentibus imperas,
Tellus facta tuo eſt ſubdita numini.
O quae nunc colitis Maenala, Najades,
Urbi Romulidûm plaudite canticis.
Riv. *Urbs o Parthenopes ſplendida perpete*
Coeli praeſidio, atque omine dextero,
Felix prae reliquis urbibus, inclyta
Heroum genitrix; o age, munera
Quid ceſſas? Charitum, quae gremio tegis,
Jacta fertilium florida collium,
Jacta nobilium fervida fontium
Dona, et ſulphureas exſere montium
Frontes, flammivomi et culmina Veſbii;
Effer laetitiae ſigna noviſſima:
Naturae omnigeno condita munere

Olim

Olim ſi locuples, urbs memorabilis,
O inter reliquas urbs celeberrima,
Spargebas radios undique gloriae;
En nunc egregiis ſtrenua te ſuis
Inventrix operum prodigiis novis
Ars mire decorat: jam gemino nites
Artis praeſidio, praeſidio ſimul
Naturae, et merito diceris Urbs Nova.
O quae nunc colitis Maenala, Najades,
Urbi Parthenopes plaudite canticis.

Daf. *Pallidâ textam violâ coronam*
Et roſis albis, tulipiſque pictis,
Adjice ad ſacram, Tiberis, tegentem
Tempora laurum.
Huc ades laetus, Dryadum frequenter
Te juvat pulchris choreis adeſſe,
Te frequens vatum celebrat canoro
Turba cothurno.

Riv. *Floridam calthâ viridi coronam,*
Et croco flavo, caſiâque molli
Adjice, Sebethe, ſacram ad tegentem
Tempora myrtum.
Huc ades laetus, reſonis Camoenae
Te canunt noſtrae numeris, tuumque
Splendidum dulci ſuper aſtra nomen
Carmine tollunt.

Daf. *Carmine tollunt*
Nobiliore
Facta tuorum,
Roma, Parentum.
Quem generoſus
Vellerat olim
Non ſine Cocles
Impete, pontem;
Quamque potenter
Mutius uſſit
Scaevola dextram;
Quaſque virago
Claelia navit
Tybridis undas:
Carmine tollunt
Nobiliore.

For-

Forte Metelli
Pectus, et acrem
Mentem, animumque
Illius, olim
Qui ſine pugnâ
Reſtituit rem;
Jura Catonis,
Et referentem
Signa Camillum,
Scipiadaſque
Fulmina belli,
Fractaque nunquam
Caeſaris arma,
Qui celebrato
Nomine totum
Terruit orbem:
Denique Petri
Geſta, trhonumque.
Dogmata, leges,
Atque triumphos
Relligionis:
Nobiliore
Carmine tollunt.
Riv. *Carmine tollunt*
Nobiliore
Parthenopaeos
Undique vates.
Altiſonantis
Plectra Maronis,
Et, quod amica
Uſque vireſcens
Laurus inumbrat,
Grande ſepulcrum;
Barbiton Acti,
Qui memorando
Aequora, terras,
Nomine complet:
Carmine tollunt
Nobiliore.
Quique canebat
Percitus oeſtro
Non perituro
Sidera plectro;
Quique tot unus
Protulit, arte
Doctus in omni
Carmina, Taſſum;
Quique Poëſim
Vertere viſus
Illecebroſo
Ore, Marinum;
Papiniumque,
Partheniumque, et
Qui canit omnes
Strenuus herbas;
Denique Petri
Qui lacrymarum
Concinit imbres,
Ante profani
Cantor amoris:
Nobiliore
Carmine tollunt.
Daſ. *Quam bene! dulce ſonant variis haec condita metris*
Bucolica; Arcadico forſan plaudente theatro:
Tempus erit, quo nos Cuſtode ſinente canemus.

Riv.

Digitized by Google

Riv. *Dî faxint, Daſmon, placeant haec metra: refertum*
Scilicet hoc ſeclum rigidis cenſoribus, audent
Omnia qui damnare, vetus quae non probat aetas.
Interea, ut releves incommoda magna viarum,
Haec modo, quae prope ſunt, poteris mea tecta ſubire.
Daſ. *Hoſpitium antiqui num dedignabor amici?*
Sponte ſequar, tecumque volens, Riviſce, morabor,
Menſâ utcumque levi, et dapibus contentus inemtis;
Ne modo, ne deſint gelidis e fontibus hauſtae,
Illataeque ſtatim, gratiſſima pocula, lymphae.
Nam quid ego in ſilvis, tacitiſque receſſibus optem
Frigida Sicano ſtillantia pocula rore,
Quae ſeu lac preſſum, ſucco ſeu Cedrus odoro
Condiat, et circum glacies adſtringat acuta,
Vaſis ope in gyrum ducti, crebroque reducti?
Et vero ille mihi longe jucundior eſſet,
Atque mero, atque ipſo divorum nectare potus.
Quin etiam ex illo (quod fors mirabere) dulce
Neſcio quid noſtris accedere cautibus olim
Expertus didici. Nec malim ad plectra vocatus
Labra Aganippaeo ſitientia fonte rigare.

IDYL-

Digitized by Google

DECAS PRIMA
IDYLLIORUM
DASMONIS ANDRIACI
P. A.

Digitized by Google

Digitized by Google

IDYLLIUM PRIMUM.

* ADAM.

POſtquam fatali decerpſit ab arbore pomum,
Nec divûm Namen, divas nec ſpernere leges
Erubuit nimis uxori male credulus Adam;
Ante Deum meritas tanto pro crimine poenas
Juſtitia expoſcens ſtetit, atque his vocibus uſa eſt:
Ecquid adhuc culpae reſtat? neque meta, moduſve?
En nova ſuccreſcunt ſcelerum contagia Mundo.
Ipſe parens hominum, terreno pulvere cretus,
Jam ſuperis dare jura, et rerum flectere habenas,
Seſe aequare Deo, nil penſi ducere leges,
Adfectare polum, et detrudere Numen olympo
Audet: proh ſcelus infandum! quin crimen adauget;
Namque Deum reus inſimulat, cauſamque refundit
Labis in auctorem coeli, terraeque, mariſque:
Nec facti pudet. At ſontes abſolvere poenis
Non nos jura ſinunt. Superi reſcindere Coelum
Adgreſſi, Dominumque ſuo detrudere Regno,
Fulmine dejecti en ſtygio volvuntur in igne.
Nunc tu, ſumme Parens, homines patieris inultos?
O age, quid ceſſas? Adam fas perdere, et omnem
Perdere progeniem; nunc o properate procellae,
O huc ardentes atrâ caligine flammae,
Horrendae properate umbrae tortore flagello,
Irruite, et tantam terris avertite peſtem.
Haec effata ſilet; tum conſtitit ante tribunal
Grande Dei exitium deploratura ſupremum

* Vide Gen. cap. 3.

Digitized by Google

Suppliciter triſtis, miti Clementia vultu;
Ingemit, et duplices tendens ad ſidera palmas,
Talia voce refert: Summi o Regnator Olympi,
Si precibus locus, et miſerandi copia ſi qua eſt,
Da finem aerumnis, et rebus conſule fractis,
Deſine poenarum: ſatis eſt tua cognita virtus.
Hanc modo ſat manes damnati ultricibus iris
Teſtentur. Si nulla homini ſpes certa ſalutis
Adſpiret, laus unde mihi nomenque, decuſque?
Aeternum ſuperis, terriſque ignota manebo.
Quid ceſſas, Pater alme? hominum miſerere; perennes
Te per ego has lacrymas, dextramque tuam, precor, Orbem,
O, precor, Omnipotens, modo tantis eripe damnis.
Eſt tibi vis animo, tibi ſumma potentia, laſſi
O igitur miſerere Adae, quem devius error
Tranſverſum tulit incautum, neu tu, precor, omnes
Unius exſcinde ob noxam. Tot funera letho
Dedere, totque animas ſub tartara mittere, Coeli
Totque ſuis oras viduari civibus, hoc non
Non tua fert Bonitas, placido ſi numine cernes
Quos late, Pater, infecit vis dira veneni
Clade in communi Patrum, Mundique ruinâ.
O te quanta manent laudum proeconia! gentes,
Et populi tibi thura ferent, tibi templa dicabunt,
Undique feſtivis onerantes aethera votis.
Dicere mitis adhuc Clementia plura volebat;
At genitrix operum, rerum Sapientia Mater
His medium dictis ſermonem abrumpit: et, O quae
Tanta repens (fatur) coelo diſcordia ſurgit?
O cohibete iram, et placidum componite foedus.
Juſtitia expoſcit meritas pro crimine poenas;
Et ſceleris veniam ſupplex Clementia poſcit:
Quae veſtrum victrix? ictum jam foedus, et omnes

Com-

Compoſitae leges: ego foedera ſaxo potenti
Firma manu, et nunquam temerandâ pace ſororum,
Quae certant, magnae abſolvam diſcrimina litis.
Tu caput infelix, Coluber, qui labis origo,
Atque omnis qui cauſa mali, ſententia quae ſtat
Accipe. Devoveo diris te in ſecula; verres
Horrendus maculis, multoque volumine teter
Ima ſoli, inviſus cunctis, perque avia vitam
Exul ages, loca ſenta ſitu, atque horrentia toſis
Teſqua coles. Tibi victus erunt, menſaeque dapales
Pulvereae ſordes, et ſudor inutilis agri.
Quin tecum infauſto ſanxit* quam foedere pacem
Foemina, quae vetitos auſa eſt attingere foetus,
Dejiciam, funeſta et vertam in praelia, ut inter
Teque, ſatamque Evae maculatâ e ſtirpe Puellam,
Atque tuum inter ſemen, ſemenque illius inter
Aeterni ſemper vigeàt diſcordia belli.
Tempus erit, furiis quo tu inflammatus, et ira
Attolles furiale caput, criſtamque biſulcam:
Inde volubilibus contorquens nexibus orbes,
Terribilis toto maculato e corpore dirum
Virus in ora leges, elato pectore, multas
Inſidias, et damna ſtrues feralia plantis
Virgineis, talos irato ut dente laceſſas,
Cinctamque inficias divo candore Puellam.
At caput illa tuum coeli vi conteret, et te
Singultantem animam vitâ, regnoque potenter
Exuet, ac Stygio torquendum trudet Averno.
Ex hac naſcetur coeleſtis origine terris
Magna Dei ſuboles, magnum Patris incrementum.
O quantus ruet in bellum! quantoſque triumphos
Hic referet, cum ſe adverſos feret almus in hoſtes!
Abluet hic generis crimen commune, ſuâque

Et

Et ſcelus, et maculas miſerorum morte piabit;
Unus qui Mundo moriendo reſtituet rem.
Hic Erebi portas pervadet, et impia clauſtra,
Pallenteſque umbras, Stygiumque in ſede Tyrannum
Adgredietur ovans, vinctumque, et carcere clauſum
Imperio premet aeterno, claruſque triumphis
Innumeris late, ſpoliiſque oneratus Averni
Coeleſti demum in ſolio immortale tropaeum
Eriget, et victor cunctis dominabitrr oris.
Qui tibi nunc animi ſenſus? num, Diva, recuſas
Parcere? num tali renuis miteſcere lege?
Quantae molis erit Mundi reparare ſalutem!
Pone modum lacrymis ſupplex Clementia; namque
Magna nitet veniae tibi ſpes: homo lapſus ab Orco
Jam revocatur; habes, quod tota mente petiſti.
Dixerat, extemplo roſeos Pax aurea vultus
Exerit; ut Fhoebus reſerat cum lumine Coelum,
Poſtquam tempeſtas pluvialibus horrida ventis
Eripuit lucem, atque aethram praetexuit umbris.
Sic Pax blanda nitens crinem circumdata olivâ,
Conſociat divas concordi lege ſorores.
Oſcula Juſtitiae libat Clementia, Virgo
Concipitur nam labe carens Jeſſaeïa: factum
Jam vero in terris quidquid Sapientia dixit.

IDYL-

IDYLLIUM II.

* NOË.

Ad Excellentiſſimum Dominum Ferdinandum Spinelli.

ANnua Parthenioe redeunt jam ſacra Parentis
*Feſta ** novo decore, atque novis ſplendoribus aucta;*
Et me gratus amor, ſancta ut primordia lucis,
Conceptus ſine labe tuos, Jeſſeïa Virgo,
Uſque colam, et ſupplex venerer, votiſque ſalutem
Admonet, ac tantæ perſolvam carmina Matri.
En me Pierii colles, en Hyppocrene,
Compellatque ſuum, cum Muſis, Phoebus alumnum,
Et, quæ pollicitus, repetentem Idyllia, ad arces
Me vocat Aonidum. Conatus at ire ter ipſe
Vota ſoluturus, deſes ter deſtiti, inerſque.
Et me, qaod mage deflendum, tot magna laborum
Taedia, tot prohibent et tanta negotia, curaeque
Et ſtudia, immodice laniant quae pectora, tempus
Ut modo vix ſuperet cantandi carminis ullum.
Tu vero, primis aetas cui floret in annis,
Et juveni arridet Phoebus, fonteſque recludunt
Pierides Muſæ, reſerantque cacumina Pindi,
Heroum, FERNANDE, genus, claro edite Avorum
Sanguine, Spinellaeae ſtirpis nobile germen,
Immortale decus, vati modo ſuffice vires.
Tu mihi præſidium, modo ſi intermiſſa reſumam,
Atque inſueta diu, fractumque ſonantia plectra,

Ple-

* Vide Gen. VIII.

** Alludit Poeta ad Deiparae Immaculatum Conceptum novis titulis, novoque honore, quum a Pontifice Maximo BENEDICTO XIV., tum a Rege noſtro invictiſſimo CAROLO BORBONIO nuper cumulatum.

Digitized by Google

Plectra vel in triviis diſperdere carmina nata :
Hoc mihi ſi tantum concedas, numine plenus
Cantabo, generiſque tui primordia dicam.
Magnanimos addam Heroas, Patruumque *JOSEPHUM,
Cujus mellitum, et carum Tu ſemper eris cor.
His ſuper (inſignis tua quae laus) mentem animumque
Tot diſciplinis excultum Principe dignis,
Muſarum donis cumulatum, et Pallade diâ :
Macte animi virtute, et mentis acumine, magnum
Ipſe quidem (nec vana fides) in nomen iturus.
Nunc ades, et vatem ne dedignare canentem.
Poſtquam diluvium, et veniens Coelo agmen aquarum
Omnipotens ſtitit, et toto Sol aethere nubes
Disjecit, ſparſitque novis ſplendoribus orbem,
Cum natis, nuribusque, uxore, Noëmus ab arcâ
Egreditur, volucreſque ſimul, genus omne ferarum,
Quod non diluvii ſtravit violentia ; et arâ
Ceſpite conſtructâ, mactat de more juvencos :
Et primum ſancti fumant altaribus ignes.
Plurima quum flammis adolentur corpora, quumque
Jam pinguis tollit fragrantem victima fumum,
Victimae odor ſuavis tranſcendit ſidera Coeli,
Primaque purgati ſuſcepta eſt hoſtia Mundi ;
Tunc reſonis ſacri permixta fragoribus ignis
Late fatidici vox eſt audita Noëmi,
Talia ſuccenſus qui divo numine fatur.
Quo me laetitiae rapiunt ſpectacula? quae lux?
Quodve novum fulget demiſſum lumen ab aſtris?
En cum divinae rutilant altaria circum.
Mille faces ; variis diſtincta coloribus Iris
Emicat : augurium agnoſco, accipioque verendum :

Non

* Eminentiſſimus Cardinalis JOSEPH SPINELLUS tum Neapolitanus Archiepiſcopus.

Digitized by Google

Non aliis unquam tam praeſens noſcere Numen
Conceſſum terris. Revocate animum, atque timorem
Mittite, ſervati per tot diſcrimina rerum
O Filj, mea progenies, ſeniique levamen,
Et ſanguis meus. En latis jam dant quoque finem
Aſtra malis, Deus et poſitâ placabilis irâ
Oblitus ſcelerum, ac violati foederis, en nos
Sponte ſuum amplexus populum eſt, ſignisque ſecundis
Nobiſcum Coelo pacem firmavit ab alto.
Plaudite io! Terris ex hoc jam non erit ultra
Diluvium, et praeceps non amplius aethra refuſas
Emittet, quibus undat, aquas; non terra profundis
Gurgitibus diſcluſa ſinum, recludet hiatus
Immanes, patuliſque ingentes faucibus undas
Evomet, ac gremio incluſum aequor reſtituet; non
Amplius e terris ſanguis delebitur omnis.
Virgo decus Coeli, et rebus ſolamen in arctis,
Quae gravidata Deo Superûm geſſiſſe tumentem
Rege alvum poteris, Mundo et fudiſſe ſalutem:
O quae ſplendorem Matris, ſimul atque pudicae
Virginis intactum florem ſervabis, et omni
Divipara in populos late celebraberis aevo,
Tu ſignum, Tu Foedus eris, Te in nubibus Arcus
Oſtendat poſitus, Teque aurea praedicet Iris.
Iris ut innumeros ducens, varioſque colores
Solis ab adverſi radiis, miracula formae
Verſicoloris habet, nigro et licet hoſpita nimbo,
Nil tamen aethereae decus admirabile frontis
Inquinat indecori hoſpitio; ſic Tu, Inclyta Virgo,
Juſtitiae Solem terris paritura, tuarum
Virtutum variâ ſplendebis divite formâ;
Et quamvis Mundo, ſtata quum adventaverit aetas,
Naſceris, foeda haud referes contagia Mundi.

Conceptuſque tuus ſine labe vocabitur ; et Tu
Arca immota manens circum latrantibus undis,
Atque Columba ferens ramum viridantis olivæ
Diceris ; Tibi et aras ſurgere, templa, nepotes
Adſpicient, Tibi thura ferent, et marmore ſacro
Templa dabunt Arabes, Seres, Indique, Sabaei.
Sic fatur cumulans ſacris altaria flammis,
Incendenſque animum Mariae venientis amore.

IDYLLIUM III.

*MARIA.

AEgypto profugi, poſtquam maris aequora rubri
Inter aquae aggeſtos pelagi ſtagnantis acervos
Tranſiliere omnes, Iſac de nomine dicti
Iſacidae, et Pharias abſorbuit unda cohortes:
Continuo Moſes partae praeconia palmae,
Atque Deo laetum cecinit paeana triumphi.
Cantemus Domino: cum laude eſt magnificandus:
In mare dejecit currus, equiteſque, duceſque;
Ille mea eſt virtus: Illum mea carmina ſemper
Laudabunt, convexa polus dum ſidera paſcet,
In freta dum current fluvii, et mihi vita manebit;
Ipſe canam Dominum, laetos Dominique triumphos.
Ut vir pugnator, cui magnum, et nobile nomen,
Omnipotens, Pharias acies, Memphiſque maniplos,
Curruſque, ac pedites glomerato in gurgite aquarum
Projecit, cladis ſupereſt nec nuntius; alto

Nam

* Vide Lib. Exod. Cap. XIV. & XV.

Nam rapidus cunctos abſorbuit aequore vortex;
Subſedere omnes, demiſſa ut vertice praeceps
Concidit ad terram magno actu ſaxea moles.
Bellipotens tua dextra, Deus, tua robore praeſtans
Dextera dives opum, ac palmarum percutit hoſtes,
Atque Aegyptiacum premit inſuperabilis agmen.
Irarum, Deus alme, omnes effundis habenas,
Inviſamque cies nullo diſcrimine caedem:
Ac veluti immiſſus diverſis partibus ignis
Arentem in ſylvam, diffuſis impete flammis,
Cominus incendit truncos, quercetaque, et alnos,
Et fagum, et pinum, et virgulta ſonantia lauro,
Et cerros, atque ulmos, ac late omnia perdit;
Non ſecus irarumque tui vis ſtrenua, et aeſtus
Excutit, effunditque hoſtes, ac funere mergit.
Te modo Erithraeus, Dominumque te opima Canopi
Gens noſcit, vaſto quum mergier aequore felix
Haud paſſus Populum, imperio hinc ſuſpendis, et illinc;
Ut vitreum montem, ſinuoſas gurgitis undas,
Perque viam nobis medias recludis arenas.
Perſequar Iſacidas (fertur dixiſſe Tyrannus
Succenſus furiis, odiiſque furentibus actus,
Talibus attonitus viſis, et imagine rerum,)
Perſequar Iſacidas, iterumque in vincla remittam,
Servitioque premam; et quae, fuſis hoſtibus, amplae
Exuviae nobis partae, monumenta triumphi,
Diſtribuam: illi autem vincliſque, fameque ſubacti,
Ad ſua plorantes remeabunt mania ſervi,
Atque paduloſae inviſent quoque ſtagna Rameſſis.
O agite, et tantis vos nunc adjungite palmis,
Aegyptj comites. Sua jam dant terga per aequor
Iſacidae. Arma citi, quae vos modo ſera moratur
Segnities? illis numerone, an viribus aequi

Non ſumus? alterni ſi congrediamur, habemus
Hoſtes. Ne trepidate animis; victoria noſtra eſt.
His dictis Pharao ſubitâ ſpe fervidus ardet,
Et pugnae impatiens vicinâ ex urbe citatis
Fertur equis, populoque Dei ſuprema minatur.
At Tu, Sancte Parens, rebus ſolamen in arctis,
Praeſidiumque tuis, atque anchora certa ſalutis,
Effringis capita alta Virûm, faſtuſque ſuperbos
Deprimis, ac ſaevae diſperdis fulmina vocis.
En Peluſiacos glomerata reſorbuit hoſtes
Unda maris; cunctique duces, victaeque cohortes
Aeterno condunt jam naufraga lumina ſomno.
Undique contectum galeis, clypeiſque, viriſque
Aequor Erithraeum turget; fluitantque per undas
Armamenta, et tela ducum, mavortiaque aera,
Et fracti currus, et quidquid forte vehebant.
Hinc pedites, illinc equites ſub funere acerbo
Partim ſubmerſi, non uno vulnere partim
Alliſi ad ſcopulos, lacerati corpore toto
Apparent miſeri nantes in gurgite vaſto.
Quae lacrimae morientûm! aut qui triſtes ululatus!
Qui gemitus miſerûm? aut quae lamenta petentûm
Auxilium! At tua dextra, Deus, tua numina amicum
Auxilium deferre negant. Maria omnia circum
Jactantur; nunc aſtra petunt, deſcendere ad imos
Nunc credas Manes: ſonat illaetabile murmur
Interea, merſique omnes moriuntur in undis:
Unda ad arenoſum ejectat modo corpora litus.
Quis ſimilis Domino? ſeu quis componere ſe vult
Olli, qui rerum celebratur Conditor, et Rex,
Ac vindex ſcelerum, ſanctus, laudabilis, atque
Cujus habet nullos ſuprema potentia fines,
Qua totum portenta gerit memoranda per aevum?

Omni-

Omnipotens Deus hic furialibus obſtitit auſis
Hoſtium, et elatos preſſit, populumque reducit
Ad loca, quae noſtris promiſit Patribus olim.
Dux erit hic facti: hic veteris non immemor illi
Foederis, aeternum quo ſe ſociavit Abramo.
Ejectis rudibus patria de ſede colonis,
Iſacidis ſua Regna dabit. Conterrita ſignis
Effera gens haeret; Chanaan tremere incipit, ira
Fervet Edom, noſtrum Maob genus omne futurum
Fas putat odiſſe, illique invidiſſe triumphos.
O Pater, o hominum, ſuperûmque aeterna poteſtas,
Exſere virtutem, timeant ut regna furoris
Tela tui: immoti ac perſtent immobile ſaxum,
Qui plures orantque Deos, idolaque multa;
Donec ad optatos deduces ipſe penates
Vi procul Abramidas, dederis loca ſancta, tuâque
Parta manu; imperium ſine fine, Sacraria, Reges,
Cumque aſtris manſuram aeterna in ſaecula ſedem,
Semper honos, nomenque tuum, laudeſque vigebunt,
Famaque cantabit partas, Deus optime, palmas,
Te duce. Nam Pharios ſpirantes fulmina, et ignes
Terrificos perdis: noſtro ſub lumine et hoſtes
Una omnes glomerati, acies, turmaeque equitantûm
Occumbunt: rapidum ſpumeſcit ubique voratis
Totque cadaveribus differtum, et curribus aequor.
Nos, genus electum, Abrâmidarum ab ſanguine creti,
Inque novos titulos, et magnum nomen ituri,
Quos Deus aeternis opera ad majora remittit
Conſiliis, pede ſiccatum trajecimus altum.
Dixerat haec Moſes: laetumque per agmina murmur
Ilicet inſonuit. Summi Soror inclyta Aronis,
Cui Maria eſt nomen, pulſat cava tympana, et omnes
Conveniunt. Aperit ſignum divina Sacerdos,

Pro-

Prodigiumque canens, referunt quod viſa, futurum
Victori repetit feſtum paeana Tonanti.
Cantemus Domino: cum laude eſt magnificandus.
Horribilem, indomitum, flammaſque ex ore vomentem
Ipſe teret vinctum ſtygiâ cum gente Tyrannum,
Quum noſtras veniet puriſſima lucis in auras
Virgo, quam ſaeclis promittunt fata futuris.
Audite, o gentes; dictis ſpes diſcite veſtras.
Mira canam, ſed vera canam; monumenta Parentum
Pandam, atque arcanis oracula merſa tenebris,
Tranſmittamque meis in ſaecula ſera nepotum
Carminibus, laudeſque Dei, memorandaque facta
Numinis, ut diſcant noſtri, me vate, minores.
Novi ego, (ſed Deus haec animis myſteria rerum
Infudit) novi ipſa Erebi in Pharaone Tyrannum,
Et Pharaoniadae Manes Phlegethontis obumbrant
Audentes Adae corrumpere labe Puellam,
Quae ſero dabitur ſummum paritura Tonantem;
Quaeque decus Matris memorandum, quaeque pudicae
Virginis intactum florem ſervabit in aevum.
Undarum abſorbet Pharios ut aperta vorago,
Intereuntque equites, jactantur corpora ponto,
Ludibrium pelagi, ac reſeratur ſicca profundo
Semita diducto Iſacidis, ut fraude ſoluti
Hoſtium et inſidiis, imâ gradiantur arenâ:
Haud aliter Manes, Erebique exercitus omnis
Ad ſtygias remeat latebras; ſuccenſus et ira,
Praeque ignominia, rabieque, furoreque frendens
Immugit clauſus caeco ſub carcere, et alte
Illacrymans condit ſupremum corde dolorem.
Unaque, et ante alias felix Jeſſaea Virago
It mare per medium, ſordes nec contrahit Adae,
Exitiumque hominum, atque illo non commaculatur

Cri-

Digitized by Google

Crimine, quo tellus tota eſt imbuta nefando.
O quam Te memorem, Virgo! Te gratia primum
Excipiet placidis naſcentem molliter ulnis.
Inclyta, quam modo Te celebrem! Tu ſola voluptas,
Unus amor ſuperûm. Nil Te veſtigia culpae,
Vel laedet vetitum, per quod ruit impete magno
Gens humana, nefas: homines Tu ſola tot inter,
O bona, eris noſtrae, divino numine, ſordis
Immunis. Veniet luſtris labentibus aetas,
Quum Tu tot rerum oſtentis promiſſa, feroces
Contundes Erebi Manes, regna horrida regna
Servitioqre premet, victrix dominaberis ollis.
Mille inter ſtrages, graſſantes una ruinas
Criminis effugies; inter Tigridumque, Leonumque
Incedens catulos, et caſſes inſidiantûm
Una teres ſtygii ſublimia colla Draconis.
O mulier divina, hominum ſpes, praeſidiumque!
Quaque patet tellus ponto circumſona, nomen
Poſteritas ventura tuum cantabit, et omnes
Quos referes, dicet, fuſo ex Acheronte triumphos.
Te venerata ſacris imponet Numen in aris,
Et ſupplex Tibi dona feret, precibuſque vocabit.
Virgo, clamabunt Seres, clamabit et Indus,
Divipara, Ammerici, ac gemino gens ſi qua ſub axe
Reſtat adhuc ignota, fave auſpicio, o bona Virgo:
Per Te depoſitis miteſcent ſaecula bellis
Aſpera: per Te nunc ſurgat gens aurea Mundo.
Haec ubi dicta dedit, veteri de more tropaeum
Parthenidi ſtatuit, meritae pro laudis honore.
Tum ne effata rapax verba haec abolere vetuſtas
Audeat, Oraclum candenti in marmore ſculpſit:
Hoc mare Niligenas abſorbuit, hocce per aequor
Iſrael tranſit. Mirum hoc? quum concipietur

Quae paritura Deum eſt, iterum admirabitur orbis.
Huic nos Reginae divûm atri criminis Adae
Immuni monumentum hoc ponimus Iſacidum gens.
Diviparam, o quis ades, voto, ac precibus venerator.

IDYLLIUM IV.

* DEBBORA.

POſtquam res Chanaan, gentemque evertere Jabin,
Femineaque Deo viſum proſternere dextra
Confectum Siſaram curis, ſomnoque gravatum;
Protinus Iſacidae victricis tecta Jabelis
Circumfuſi adeunt, procereſque, virique, duceſque,
Ac juvenum, matrumque chorus, ſimul innuba proles,
Et celebrant partas divino munere palmas.
Hos inter multo ingreditur ſublimis honore,
Quae nuper comitata viros praeceſſerat agmen,
Gloriam et aequavit praeclaris Debbora factis;
Ac ſimul invehitur primus, qui invaſerat hoſtes,
Et ſtravit Chanaan, duris vinxitque catenis,
Inſignis Barac. Quumque ambo informe cadaver
Adſpicerent Siſarae, trajectaque tempora clavo,
Agminaque everſis ceſſiſſe hoſtilia caſtris,
Clamarunt: Iſtinc procul, o, procul eſte profani;
Tum coetu in medio magnâ ſpectante coronâ
Laudibus extollunt variis, celebrantque Jabelem;
Et canere incipiunt, venturaque prodere fata:
Quid celebris modo parta ferat victoria; cujus
Sit

* Judicum IV. & V.

Digitized by Google

Sit quoque imago Jabel: divino et Numine pleni
Expertem memorant genitorum labe Puellam:
Quam ſero dabitur! referet quos illa triumphos!
Qui ſponte objicitis caput inſuperabile bello
Ex Iſraele ſati laetum date carmen, et inter
Plaudentûm voces Domini celebrate triumphos.
Audite haec Reges, animiſque reponite veſtris.
Magne Deus, rerumque parens, cum tecta Seiris
Deſereres, opulenta petens tentoria Idumes,
Inſolito tremuit tellus conterrita motu,
Effudere imbrem nubes, fluxitque ſolutus
Mons, et fumantis trepidarunt culmina Sinae.
Ex quo regnavit ſuboles Anathaea, Jabelque
Se extulit, haud quiſquam immunis latrone pererrat:
Sed grave carpit iter per opaca, et ſcabra locorum,
Atque per incertos ducit veſtigia calles.
Hinc patria Iſacidum virtus neglecta quievit,
Et fortes ſedere duces; quoaduſque virilis
Exemplo, verboque potens ſurrexerit haec, quae
Dicitur Abramidum mater Lapidothis. Ab iſta
Adgreditur nova bella Deus; Deus ille, ſuperbas
Qui Chanaan portas ſubvertit, quique refringens
Caſtra virûm hoſtiles acies, curruſque fugavit.
Nam prius ecquis erat, de tot qui millibus, unus
Vel telum, aut clypeum infeſtos praeferret in hoſtes?
Delecti Judae proceres, gaudete, Deumque
Vos celebrate viri, qui tot diſcrimina adiſtis,
Et dubios belli caſus. Qui jura Sioni
Panditis, atque humeros tarde gradientis aſelli
Scanditis, ac vigiles luſtratis compita circum,
Dicite mira, Dei quae ſola potentia fecit.
Heic ubi ſtrata jacent devicto ex hoſte tropaea,
Sublimeſque ſtruunt glomerata cadavera montes:

C *Heic*

Digitized by Google

Heic ubi victor ovat, ſpoliiſque oneratus opimis
Antiquo rurſum ſceptro, imperioque potitur,
Juſtitia heic Domini, et Clementia ſumma canenda eſt:
Surge agedum, partos cantu modulare triumphos
Debbora; captivaſque trahens longo ordine gentes
Eja age, et o Barac, meritis pro talibus hymnum
Concine: relliquias populi Deus ipſe potenti
Eripuit dextrâ, et bellando contudit hoſtes:
Iſtius auſpiciis quondam ſublimia Regum
Colla ſuperborum protrivit, regnaque, et omnes
Stravit Idumaeos Ephraim; clademque minantem
Benjamidae vlcere Amalec. Nos novimus arma
Iſtius auſpiciis; his vicimus: iſtius aris
Laeta triumphales ſacret victoria palmas.
Qui ultimum adeſſe diem, nobiſque extrema parari
Adſeruit, deceptus iit: venere potentes
Subſidio noſtri, genteſque, virique, duceſque:
Et Menaſaea tribus, genitaeque ab ſtirpe cohortes
Nephtalidum; bello Zabulon victrixque, potenſque,
Iſſachariſque genus ſeſe junxere periclis,
Et ſignis Barac: vires ſic viribus auctae:
Ceſſarunt reliqui. Patris fecunda Rubenus
Arva colens caulas inter, pecudeſque reſedit;
Expers curarum Galaad trans alta quievit
Flumina Jordanis: laetus Dan navibus haeſit;
Et ſua manſerunt Aſeritae commoda agentes
Portubus in mediis. Zabulon pro lege Parentum,
Nephtalidaeque manus Chananaeo pectora bello
Objecere, ſacer quâ ſurgit culmine Thabor,
Caſtraque contulerunt hoſtes, Martemque laceſſunt.
Hos contra pugnatum eſt alto ex aethere telis
Fulmineis; ſtellaeque ſuâ in ſtatione manentes
Vicerunt. En ſigna; ducum en praefixa ſub haſtis

Digitized by Google

Nota nimis miſeris capita alta, et putrida tabo.
En Cadumim fuſo rubicundus ſanguine praeceps
In mare progreditur, ſecumque et tela, viroſque
Semineces, et ſcuta trahit, curruſque, ſagittas,
Loricaſque graves, et contegit omnia ponto.
En fugientis equi prolabitur ungula, et hoſtes
Effugiunt, latebriſque metu conduntur, et umbris:
Aligerûm vox una leves audita per auras:
Dira Meroz, Chanaan cum triſtia bella pararet
Iſacidum gentem jurata exſcindere, et armis
Subdere Regna ſuis, Templumque evertere, et aram,
Abramidum populo, cur non feſtina dediſti
Auxilium? maleſana Meroz, quae rebus in arctis
Liquiſti fratres. Noſtro celebrabere cantu
Tu felix una ante alias fortiſſima Virgo,
Et nimis o generoſa Jahel. Tua dextera clavo
Audacter Siſarae transfixit tempora; et ille
Per te ſupremum jungit cum funere ſomnum.
En domus Haberis ſcelerato ſanguine ubique
Sparſa madet, largoque natans in flumine corpus
Exanimum, ore ſolum mordet, mortemque minatur.
Ut perit, hic odiis qui nos verſabat inultus,
Quique Dei ſanctum quaerebat perdere nomen;
Sic quoque venturis ſaeclis, dux ille peribit
Tartareus, qui triſte jugum mortalibus aegris
Impoſuit, cum prima lues ab origine Mundi
Infecit Patres; et Patrum lapſa per omnem
Progeniem, ſtygiis nos vinxit culpa catenis.
Utque viros praegreſſa omnes electa Virago
Sola triumphavit, Chananaeos vicit et hoſtes;
Et Siſaram occidit, cujus modo vita refugit
Femineâ ſuperata manu indignata ſub umbras;
Haud aliter Virgo jam tum promiſſa ſupremum

Ditis in exitium, veteriſque in damna Draconis,
Innumeros dabit Iſacidis ſine caede triumphos;
Haec nova, et exſpectata Jabel, quae prodit ad auras
Immunis noſtrûm primaevo crimine, ſternet
Imperium Stygis, et crudelia ſceptra Tyranni.
Haec nobis paritura Deum humana ora ferentem,
Venturumque excidio Chanaan, terraſque potentes,
Et maria alta iterum Solymis in regna daturum.
Rebus in adverſis erit haec tutela ſalutis.
Vix ea dicta: ſtatim venturam lucis in auram
Jeſſiadem patrio ſervatam vulnere Matrem
Supplicibus poſcunt votis, Dominamque ſalutant,
Undique et inſolito reſonant laeta agmina plauſu.
Tum meritas Superûm Regi pro munere grates
Gaudentes ſolvunt; veteri de more tropaeum
Inſtituunt. Hinc tela virûm, clypeoſque reponunt,
Signaque captivûm, praereptaque fortibus arma,
Atque aptant Siſarae rorantem ſanguine criſtam;
Horrentes illinc galeas, et tempora clavis
Transfixa, et ſtratum corpus: tectumque ſuperbis
Exuviis, totamque domum victoria veſtit.
Laetitiae et memores feſto clangore tubarum
Aram Victrici candenti e marmore ponunt:
Orantes circum redolentia balſama fundunt,
Atque oleum adſpergunt, Arabique adolentur odores.
Inde Sacerdotes mactatis rite juvencis
Sacra Deo inſtituunt patrium teſtantia cultum,
Imponuntque aris ignes de more; et aduſtae
Victimae odor gratus jam ſeſe effundit in auras,
Suaviſque aſcendit trans alti Sidera Coeli;
Quumque Deo ſe offert, vehementi turbine in aram
Deſcendit nubes, quae ſacrum devorat ignem,
Et, quae jucundum redolent holocauſta vaporem.

Mi-

Mirantes haec ſigna Tribus dixere : Tonantis
O, quae Mater eris, primaevi et criminis expers,
Diva, Sionnaeae gentis ſpes unica, noſtri
Dulce decus, Salve. Per Te felicia Mundo
Saecula naſcentur : referes Tu gaudia pacis :
Ipſa feres ſtygio devicto ex hoſte triumphos.

IDYLLIUM V.

* DAVID.

SI modo proſtrato juvat, edomitoque Goliâ
Et ferro, et dictis temere minitante ſupremam
Iſacidis cladem, victrices noſcere palmas,
Quas tu, Diva, refers ab victo Acheronte, Virago,
Huc ades, et ſacrum vati da carminis oeſtrum.
Auſpice te incipiam : et faciles ſi ſufficis ipſa
Vires, Pierioque ſinas decerpere lauros
Vertice, ego magnis onerabo altaria donis,
Et ſupplex tibi vota feram, precibuſque vocabo;
Inſtituamque tibi, veteri de more, tropaeum,
Hincque triumphatum, ſtygiâ cum gente, Tyrannum
Tetrum, indignantem aptabo, et ſine terrificâ vi;
Illinc apponam Vellus Gedeonis, et Arcam
Diluvio incolumem, Solem, Lunamque bicornem,
Quae tibi formoſos ſubmittat frontis honores,
Ruth, Deboram, Judith, Jabel, atque omne, quod olim
Te innocuam primâ Genitorum labe canebat;
Dein Pario inſculpam candenti haec carmina ſaxo:

De

* Vide lib. I. Reg. XVII.

De culpâ, et ſtygio victo ſerpente tropaeum
Parthenidi hoc humiles noſtrae poſuere Camoenae.
Jam victor David, ſpoliiſque oneratus opimis
Ingreditur Solymam, Iſacidas ſupereminet omnes,
Et deforme caput Philiſtaei, crine prehenſo,
Oſtentat; namque omnis eum ſtipata tegebat
Turba ducum, ac ſocios dictis hortatur ovantes:
Maxima res effecta, Viri; timor omnis abeſto:
Quod ſupereſt, haec ſunt ſpolia, exuviaeque Gigantis
Haec quoque ſunt, manibuſque meis Goliathus, io! hic eſt.
Interea indulgens David plebs laudibus omnis,
Victori paeana canit, redimitque coronis
Tempora, et inclamat: percuſſit dextra Saulis
Mille, decem inſignis percuſſit millia David.
Indignans animo laudes Jeſſëius Heros
Conventus fert ſe in medios, turbamque ſonantem
Prodigiis actam coeleſtibus; huicque futurum
Augurio monſtrum praedicit: Gens pia, magno
Iſraele ſata, huc animos advertite veſtros.
Ipſe ego, cui Goliath Deus hâc ſuperare Gigantem
Dextrâ largitus, Philiſtaeos perdere, et urbem
Solvere jam clauſam longâ obſidione; vetuſtas
Quae dudum occuluit ſecreta immerſa tenebris,
Evolvam: noſtris acceptaque Patribus olim
Veriloquis dictis in ſaecula ſera nepotum
Transmittam; laudeſque Dei, memorandaque facta
Cognita de proavis diſcent me vate minores.
Non hoc iſta ſibi tempus praeconia poſcit,
Non levium haec miranda petant ſpectacula rerum
Has, Sion, laudes, atque hunc paeana. Canendum,
Virgine ab Hebraea quum tu mirabere victum
Monſtrum horrendum, informe, ingens. Tibi, ſtrenua Sion,
Haec dabitur Virgo, tibi quam promittier audis.

Haec,

Haec, ſanguis meus, una haec Mundo reſtituet rem
Regia progenies Coeli ventura ſub axem,
Unde genus noſtrum late celebrabitur Orbe.
Vos mihi nunc Superi teſtes, vos ſidera, tuque
Omnipotens, mihi teſtis eris, Divûm atque hominum Rex;
Si quid ego fabor tantâ de Virgine, nunquam
Quod longa ex animis tollent oblivia noſtris;
Sic placitum, Iſacides: veniet labentibus annis
Virgo nimis formoſa, Deo gratiſſima Virgo,
Haud ducens ullam materno ab ſanguine noxam.
O quam nunc memorem te! Virgo oritura, Draconis
Tu caput elides, totamque ex ore triſulcam
Linguam exſertantem Colubrum ſub Tartara trudes.
Nec deerunt majora: Deo cognata ſuperne,
Quod mage mirandum, et gravidata Deo, ſine amico
Connubii, thalamique uſa, nixuſve dolore,
Tu Verbi quoque Mater eris. Date lilia plenis
Jam manibus, date thura focis; neptemque futuram
His ſaltem accumulent donis pueri, atque puellae
Iſacidum. Deus ipſe, canam tua facta, tuumque
Tollam perpetuo numen ſuper aethera cantu
Interea. O Pater, o hominum ſuprema poteſtas,
Cui mare, cui tellus, totus cui ſubditur aether,
Quemque homines, Superique colunt, Dominumque ſalutant,
Non mihi ſi centum faciles in carmina linguae,
Oraque ſint centum, laudes aequare canendo
Ipſe tuas poſſem. Nomen ſuper aethera tollet,
Et te ſancta Sion celebrabit Solis ab ortu,
Alto dum aequoreo condet ſe gurgite Phoebus:
Nam mage formoſae tu fundamenta locabis,
Et turres, arcemque ſtrues, et tecta Sionis.
Hic templum donis opulentum, et numine magni
Regis erit; tibi certa quies, tibi certa voluptas;

Hic tibi grata domus, ſedes, et Regia: Numen
Sentiet hicque tuum praeſens, quum Acheronte relicto
Taenariis ſurget Plutonia turba latebris
In turmas, acieſque, effracto ut carcere venti
Quà via prima ruunt, vel ruptis nubibus ignes
Diſſiliunt; vigilique urbem obſidione coronans,
Et Templum, vetitis foedari altaria flammis,
Polluere et ſacrum, in peſſum omnia ferre ſtudebit.
Nam Tu, ſumme Parens, Coelum qui numine torques,
Arcebis longe hoſtes ſacro ab limine, ne quis
Cominus irrumpat vi factâ in moenia, poſſitque
Intus adire furens, urbemque errare per omnem.
Sed quum prima ineunt omnes certamina, pulſi
Devictique fugam capiant nullo ordine, ad imos
Atque iterum redeant Manes, ſtygiamque paludem.
Haec tot monſtra canunt; haec tot miracula tangunt;
Et mihi tu quondam (neque jam ſententia mentem
Ulla tuam vertet) juraſti: e ſtirpe Virago
Naſcetur formoſa tuâ: haec decorabit avita
Sceptra, per obſcuras haec ſparget lumina terras,
Tranſmittetque ſuam longaeva in ſaecula famam.
Dixerat haec David, Vates Jeſſëius; omnem
Incenditque animum dictis venientis amore
Parthenidis: laetique omnes ſermone fremebant,
Et plauſu, ſtrepituque virûm, ſtudiiſque faventûm
Conſonat urbs, pulſatae Arces, colleſque reſultant.
En, modo quae cecinit Vates oracula, jam nos
Conſpicimus: quae tum vidiſſe Patres cupiebant,
O fortunati! venerantur mira nepotes.

IDYLLIUM VI.

* ELIAS.

MOns ubi Carmelus ſubjectas deſpicit Urbes,
Et propius ſublimis apex accedit Olympo,
Stat ſub rupe Specus, vivo quem pumice ſtruxit,
Arte laboratum nullâ Natura creatrix;
Hinc reboat dextrâ, ſonitu laxata fragoſo
Unda Beli, et Ciſſon tumefacto perſtrepit illinc
Gurgite, praecipitique ruens rapit omnia fluctu,
Omniaque agglomerat, paſtores, ſaxa, gregeſque,
Et rapidus ſternens ſata laeta, boumque labores,
Spumeus, ac multâ tumefactus clade, ruinâque
In mare progreditur, ſcopuloſâ et perditur undâ.
Venerat huc magno celebratus nomine Vates
Elias, falſos poſtquam praeceperat omnes
Occidi vates, ficti Baaliſque miniſtros,
Incendi lucos, incendi templa, profanas
Evertique aras; atque alto ex culmine montis
Squallentes late terrâ in Samaritide campos,
Arenteſque videns fontes procumbit in uſtam
Pronus humum, ſupplexque oculos, palmaſque precatus
Erigit ad Coelum, Numen veneratur, et orat;
Ac puero: Adſcende, et contra mare proſpice, dicit.
Laetus in excelſum adſcendit puer, inſpicit, et nil
Adtente huc, illuc volvens ſua lumina cernit;
Donec, multa Deum orans, terque, quaterque reverſus
Proſpexit nubem: Atque o! nubes parvula ſurgit,
Surgit (ait) nubes: altâ ſub nube triumphans
Pulchra, velut Phoebe, pulcherrima Virgo reſidit.

* Vide Lib. III. Reg. XVIII. XL.

Aſtra comas cingunt, et per ſua tempora gyro
Flectuntur; radiiſque micans ſubtexit amictum
Sol, et Luna ſuis ſubmittit cornua plantis.
Proh! qualis micat ore pudor! proh! quanta venuſtis,
Quantaque virgineis diffuſa eſt gratia labris!
Talibus attonitus viſis, et numine plenus
Fatidicus Vates, veterum monumenta parentum
Volvens, ſignum aperit, nec non praedicere coepit,
Quae cecinere Patres tantâ de Virgine: Virgo eſt,
Laetus ait puero, Jeſſaeae gloria gentis:
Coelicolûm Regina potens, quam labe carentem
Divinus ſervavit Amor, cum fraude colubri
Primaevus genitor captus nos perdidit, atque
Omnia pervaſit labes, totamque nepotum
Infecit ſeriem: Virgo monſtrata per auras
Sideribus redimita comas, promiſſa Puella eſt,
Quae caput elidet, plantis quae conteret anguem
Tartareum, ut veteres olim cecinere Prophetae,
Et dixere modis divina oracula miris.
Diluvio incolumis, merſaque ſuperſtes ab orbe
Sola ratis Noë, ſuperas volitanſque per auras
Iride cincta caput, ramum viridantis Olivae
Ore Columba ferens, Sodomaeo ſoſpes ab igne
Loth genus, Abramidum venerando e ſanguine cretum;
Montis Horebaei Rubus in trepitante vireſcens
Flammâ, et magnanimi Vellus Gedeonis, et Arca
Fluctibus in mediis Jordanis, ubi unda tumeſcens
Riparum in faciem gemino velut aggere ſiſtens,
Litus arenoſum ſiccatâ in valle recluſit;
Inclyta Ruth; miro celebrataque Virgo triumpho
Judith, clara Jabel bellorum aſſueta periclis,
Tempora quae Siſarae clavo tranſfixit acutos;
Tuta domus Rahab, dum alto clangore tubarum

Pro-

Procubuit Jericho; nec non laudata virilis
Debora: formoſas inter ſpectabilis Eſther,
Pulchra Rachel, Fons ſignatus, Davidica Turris,
Mille nitens circum clypeis; Sol, Luna bicornis,
Atque Aurora novo cum ſpargit lumine terras:
Omnia ſunt divae praeſagia Virginis, atque
Omnia portendunt maculis ſordentibus Adae
Innocuam. Hanc venerare, puer, quae Matris in alvo
Concipitur ſine labe, Parens quae facta Tonantis
Exoptato dabit Mundo, et Mortalibus aegris
Gaudia; quaeve Deum nobis paritura Puella eſt:
Namque Deus primos omni ſi labe Parentes
Condidit expertes, pollutam crimine Matrem
Conderet ipſe ſuam? Quae vero gloria laeſam
Vulnere communi, et communi labe veneni
Infectam elegiſſe? Suum jactaret Avernus
Et decus, et nomen, vinclis tenuiſſe revinctam,
Quamque homines, Divique colunt, Dominamque ſalutant:
Vicit io: tota eſt pulchra, et formoſa Puella haec,
Totaque labè carens; maculis nec ſordida patris,
Sed Nati ſplendore micans puriſſima Virgo,
Cinctaque victrici lauro, et redimita coronis,
Parvula quas retulit, plantis Acheronte fugato.
Accelerate gradus felicia tempora, Tuque, o!
Diva, veni, quam ſaecla vocant, Dominamque ſalutant;
Naſcere, labe carens, Mater dulciſſima: per Te
Expectat ſine nube dies natura ſerenos.
Naſcere, naſcenti plaudet gens noſtra, Puellaeque
Iſacidum tua geſta canent: non Agaris ignes,
Nec miſeros dicent fortis Sampſonis amores,
Nec tua facta, Rachel, cantabunt, aut tua, formâ
Clara Sunamitis, nec caeſum a Davide monſtrum:
Omnes feſtivo celebrabunt carmine gentes

Digitized by Google

Virgine ab Hebraeâ victum, caeſumque colubrum.
Dona dabunt omnes, Parioque e marmore templa,
Signa ſtruent, tibi thura ferent, araſque dicabunt.
O! Mihi ſi primo floreret flore juventus,
Atque darent aſtra has venientem lucis in auras,
Quae Genitrix, et Virgo foret, vidiſſe Puellam!
Primus ego canerem devicto ex hoſte triumphos,
Flores primus ego ferrem; atque altaria circum
Alba liguſtra, roſas, violas, vaccinia, calthas,
Mixtaque projicerem narciſſis lilia, nardumque,
Et myrtum, dicens: Quos reddimus, accipe flores,
Accipe, Diva, roſas, teſtantia dona pudicas,
Queis uror, cordis flammas; nam pignora, Mater,
Obſequii ſunt certa mei, monumentaque amoris,
Accipe, ne renuas: Tibi dona placent, Tibi munus
Arridet parvum, et ſcis parva rependere magnis.
Finierat Vates, divina oracula Vatis
Attonitâ bibit aure puer, tacituſque revolvens,
Audiit aethereas voces reſonare per auras:
Plaudite io gentes! Mortales plaudite. Vicit,
Vicit io! Tota eſt pulchra, et formoſa Puella haec.

IDYL-

IDYLLIUM VII.

* JUDITH.

UT primum rediit ſpoliis onerata ſuperbis
Bethuliam Judith, caput a cervice revulſum
Laeta ferens, Oloferne, tuum; praenuncia facti
Fama ruit volitans, atque Urbis moenia complet.
Convenere omnes feſto clangore tubarum,
Undique paciferis redimiti tempora ramis;
Gratantur reduci, et laeto clamore ſalutant.
Illa, ubi condenſum vulgus diſcrimine longo
Adſpicit, affatu cives ſolata benigno eſt,
Exultanſque animis, et ſacro numine plena,
Hoc cecinit Domini, victorum carmen, honori:
O agite, et dum rauciſono ſtrepitantia cantu
Tympana pulſa ſonant, dum ſtrident cymbala, carmen
Dicite io, populi concordi numine; ovantes
Implorate Deum, rerum Dominumque, Patremque;
Illi eſt Omnipotens, magnum, et venerabile nomen:
Qui populo in medio poſuit ſua caſtra, parato
Ut nos eriperet bello, atque hoſtilibus auſis.
Multae caedis amans altis de montibus Aſſur
Ex Aquilone venit, ducens longo ordine gentes;
Igneo et ore omnes, belloque, armiſque potentes,
Spiranteſque oculis martemque, et terrificam vim;
Fulminis in morem irrumpunt tentoria, et urbem
Invadunt miſeram. Proh mirum! credimus, altos
Impleviſſe amnes, valles texiſſe profundas
Gentis equos. Animis audens dux improbus inquit:
Ille ego, qui quondam victor mihi regna coegi
Pa-

* Vide Lib. Judith Cap. XIV. XV. & XVI.

Digitized by Google

Parere, imperii et mandata faceſſere, gentem
Hanc ipſe evertam: matres, juveneſque, puellas
Ora comis tectas, vinclorum et pondere preſſas
Ipſe traham Aſſyrii magni ſpectacula faſtus
Ante triumphales, queis ſtrident compita, currus.
Tu tamen, Omnipotens noſtros miſerate labores,
Gentemque Iſacidum, ſupremaque fata tuorum,
Audacem miſerâ ſtraviſti morte Tyrannum.
Non juvenum vis, non pubes Titania, fortes
Non geniti tellure, immania monſtra, Gigantes
Percuſſere virum: tanti dux femina facti
Devicto referens celebratum ex hoſte triumphum.
Haec viduata viro ex humeris rejecit amictum
Triſtitiae, ac Tyrio depictam murice veſtem
Induit, et nardo perfundens tempora, vinxit
Cincinnos mitrâ: ſic deſponſata marito
Ipſa olim ingreſſa eſt thalamos formoſa Manaſſis.
Ut Dux egregiam formâ, pulchroque decoram
Sandalio vidit, fixis obtutibus haerens,
In dulces animum, teneroſque emollit amores;
Interea praeſtans animis, et mente Virago
Supplicibus votis, vos Numina ſancta, precatur:
Et quum Dux dapibus, vino, ſomnoque ſepultus
Procubuit, duris nil prorſus territa coeptis,
Imam inter galeam, ſummi thoracis et oras
Abſtulit enſe caput; fuſo tepefacta cruore
Terra, thoruſque madent. Virtutem Perſa, Meduſque,
Suſpiciuntque ſuis ipſi de moenibus hoſtes.
Exoritur clamor, coelum tonat omne tumultu;
Quâ furor, et mortis timor, indocileſque ululatus
Terrorem incutiunt; ſtrepit omnis murmure campus.
Mente haerent dubiâ, varioſque in pectore ſenſus
Aſſyrii vertunt, clademque inſtare tremiſcunt.

Nam

Digitized by Google

Nam proceres regni, atque Urbis delecta juventus
Caſtra inimica petens, hoſtes invadit, et urget.
Fit caedes: late caedis monumenta ſuperſunt;
Hinc, atque hinc fractique arcus, captivaque ſigna,
Loricaeque, enſeſque, et ſcuta, et tela videntur.
O agite, et ſacrum Domino poeana canamus.
Rex hominum, divûmque potens, o maxime rerum
Auctor, noſtra Tibi debet victoria palmas:
Abs Te parta ſalus per aperta pericula; cives
Per Te ſervati bello, nomenque tropaei
Aeternum vivet. Quis namque ire obvius auſit,
Impaviduſque tuae miſerum caput obtulit irae?
Intremuit tellus, montes compage ſoluti
Nutarûnt, rapido ceu cera liqueſcit ab igne,
Saxa tui obtutu vultus tremefacta liquantur.
Sed, qui jura colunt, et Te venerarier optant
Obſequio, ſecura hilares ſua tempora ducent,
Perpetua et nomen celebrabit fama per orbem.
Dixerat haec Judith. Tum circumfuſa repente
Plebs fremitu, plauſuque ruens auguſta Sionis
Templa petunt: pars multa roſas, vaccinia, calthas
Spargebat, pars laeta Dei cantabat honores.
Ut ventum ante aras, totâ pro gente Sacerdos
Pacem orat; ſanctumque, et inexorabile Numen
Carminibus patriis, et ſupplice voce ſalutat.
Mox vates, magnâ medium ſpectante catervâ,
Qui fuit in Solymis: haud tanta arcana ſilebo,
O cives, inquit; pandam memorabile ſignum.
Tempus erit, quum Virgo Stygis capita alta Draconis
Elidet, concepta procul contage parentum.
Parthenidem hanc Juditha refert: Olofernis obumbrat
Barbaries, crudele jugum, quo preſſa gemebat,
Vinctaque tartareis hominum natura catenis.

Non

Non ſecus atque Urbem, Superûm contemtor, avitam
Invaſit, vetitis cupiens altaria flammis
Foedari, et coelis acceptam evertere gentem:
Haud aliter ſtygius primaevâ labe Tyrannus
Omnia pervadens nos perdidit, atque nepotum
Corrupit ſeriem late, infecitque veneno.
Utque modo Juditha, Ducis pendentia ferro
Colla ſecans, caput ipſi aufert, truncumque reliquit
Sanguine ſingultantem, ſic ventura ſub auras
Parthenis haec, expers maculis ſordentibus Adae,
Horrendum elidet plantis invicta colubrum.
Jam tremere incipiunt teterrima regna, manuſque
Tartareae cladem meritis lugere querelis,
Incipiuntque imis aeternum ululare cavernis.
Vos vero, ſervati o cives, plaudite: vicit
Vicit io, Virgo: magnum celebrate triumphum,
Nec non jucundos, ut cuique eſt copia, laeti
Votivis omnes aris adolete vapores,
Vel delecta boum, et pecudum vos corpora centum,
Munere pro tanto lectos mactate juvencos.
Diditur hic ſubito Jeſſaea per agmina rumor,
Certatimque omnes plenâ venerantur acerrâ
Parthenidem, quam ſera dabit mortalibus aetas:
Salve, Diva parens, Solymorum gloria gentis,
Exoptata olim, referes quae gaudia terris,
O et praeſidium, ſpes et fidiſſima, Salve.

IDYLLIUM VIII.

* SALOMO.

Ad Excellentiſſimum Comitem Laſcharis de Caſtellana Expediundis Exterarum Gentium negotiis a ſecretioribus conſiliis.

CAROLI EMMANUEL

Sardiniae Regis.

ILle ego, qui Arcadicis ſuſpendi nablia ſylvis,
Intermiſſa diu repetens commercia vatum,
Ecce iterum Phoebi divino percitus oeſtro
Arcadicum nemus, et ſylvas, habitataque Muſis
Antra iterum ſubeo, ſuſpenſaque plectra retracto.
Tu modo, quandoquidem ſylveſtres, LASCHARI, Muſas,
Et colis, et ſacris praeſens Tutela poëtis
Diceris, o noſtris adſis quoque, LASCHARI, Muſis
Deque tuo noſtrae plaudant ſibi nomine ſylvae.
Si quantum cuperem, poſſem, tua dicere facta
Auderem, et nomen late immortale, decuſque,
Et pectus Sophiae donis, et Palladis arte,
Excultumque animum Themeſi, moreſque pudicos
Efferrem, et claros terrâque, marique labores;
Seu quum Regum inter plauſus, aulaſque Potentûm
Regis juſſa tui exequeris, ſeu rurſus ad oras
Quum rediens patrias gravia inter munia Regni
Gentibus, ac populis aequus das jura remotis.

* Vid. Pſ. XLIV.

Jamque audet mens orſa ſequi, et Te carmine digno
Dicere, Maeoniiſque modis attollere ad aſtra
Fert animus, magniſque Heroibus addere geſtit.
Deficiunt ſed enim cupidum vires: tamen unum hoc,
Scilicet id, quo nos fruimur, concede fateri:
Acceſſu quoſcumque tuo excipis, hoſce neceſſe eſt
Devinctos impenſe Te colere, obſequi, amare.
Interea attentas praeſta, tibi ſi placet, aures;
Et tibi, multarum modo ſi qua immunis ab aeſtu
Curarum brevis hora vacat, dum labe carentem
Parthenidem recinens, quae plenus numine David
Venturo cantaſſe Deo, Divaeque Parenti
Dicitur, Arcadicis recinentur carmina ſylvis.
Numen adeſt, diviſque ardent mea corda favillis,
Eructantque novum ſacro de pectore carmen.
Lingua animum ſando, linguam manus aemula certat
Scribendo exaequare, Deo nova carmina Regi
Dum cano: Regi hominum, cui nemo e ſemine cretus
Audeat eximiae contendere munere formae,
Quem diffuſa ſuis exornat gratia labris,
Et Deus Omnipotens aeternis dotibus ornat.
Ergo, invicte Héros, clypeo tibi pectus aheno
Circumda, gladioſque humero praecinge minaces.
I, pete, et adverſum fidens fer pectus in hoſtem,
Magnanimi ſpecie vultus, pulchroque decore
Aggredere, exuperaque illum, regnumque capeſſe.
Hoc tua ſancta fides meret, hoc clementia morum,
Et juris generoſus amor: tua dextera factis
Clara per ignotas fundet miraculo terras;
Cordaque vulnifico figens hoſtilia ferro,
Sponte ſuâ populos coget parere rebelles.
Non maris, aut terrae ſpatium, non terminus aevi
Finiet Imperium, aeterno ſublimior aſtris

Con-

Conſides ſolio, ac ſceptri moderamine juſti
Per totum, Rex alme, potens dominaberis Orbem.
Tu ſacra jura colis, fas tu veneraris, et aequi
Adſertor ſurgis patrata in crimina Vindex.
Haec propter ſuper aequaevos te diligit omnes,
Teque Deus ſancto Regem ſacravit olivo.
Ambroſios myrrhae ſpirant tua pallia odores,
Et violas, caſiamque, et ſtactes molliter afflant
Suavem auram, et thuris fragantia dona Sabaei:
Afflatu gaudent promtae ad tua juſſa puellae
Magnorum ſuboles Regum, tibi dexterâ adhaeret
Has inter Regina, auro radiata capillos,
Auro picta ſinus, et magnifico aurea cultu.
Nata, audi mea verba, altoque in pectore conde:
Et populum, et Patriam, et Patrem obliviſcere, et omnes
Ex animo caros penitus depone propinquos;
Unum oculis ſpecta, in ſe qui rapit unus amores,
Unum animo quoque coeleſtem complectere Regem.
Ille tui vultus, quamvis Deus, ignibus ardet,
Ille tuo nimium capitur, gaudetque decore,
Cui reges ſua ſceptra parant ſubmittere. Teque,
Nata, ſuis Tyriae optabunt cumulare puellae
Muneribus, proceresque opibus, gaziſque potentes,
Te quoque ſuppliciter ſacrâ venerarier arâ
Certabunt; emere obſequiis, pretioque liceri.
Ipſa quidem Regina potens, ornata capillis
Incedes Phrygiâ ſplendens in cyclade, multo
Fimbria quam circum pulcherrima fulgurat auro.
Pulchrior aſt animus latet, et quoque pulchrius intus
Cor magna arcanae praebens ſpectacula formae.
Cognatâ comites aderunt tibi ſtirpe puellae,
Inſequitur quas pompa frequens clamore ſecundo,
Cum te feſtivo plauſu, laetiſque choreis

Ad ſponſi thalamos, et caſta ſacraria ducent.
Ne deſiderio, Virgo, tangare tuorum;
Adnaſcens vincet patriſque, et matris amorem
Agmen natorum, quos fauſto numine cernes,
Et regere imperio terras, totumque per Orbem
Regali populos ſceptro fraenare ſuperbos.
Hi, Virgo Regina, tuo te carmine dicent,
Divinaeque etiam referent miracula dextrae;
Utque tui vultus ſummi Dominator Olympi
Captus amore tuos ſine crimine fecerit ortus:
Tum dicent domitos Manes, Erebumque profundum
Devictum, ſtygii direptaque Regna tyranni:
Utque feri naſcens generoſo fregeris auſu
Serpentis caput inviſum, criſtamque ſuperbam.
Ac ſuper his aras, varioque nitentia cultu
Templa ſtruent, et Te Matrem quoque nomine dicent,
Solis ad occaſum redivivae lucis ab ortu,
Quâque patet tellus liquido circumſona ponto,
Aurea dumque micans volvet ſua ſidera Coelum.

IDYL-

Digitized by Google

I D Y L L I U M IX.

* M A R I A.

Ad Alexium Symmachum Mazochium.

Siſte parum ſacros, Sylveſtris Tibia, cantus:
Tuque fave, leniſque meo ſuccurre labori
MAZOCHI, tibi enim faciles riſere camoenae;
Teque ſuo gaudet jamdudum Phoebus alumno.
Tu mihi, frondoſâ ſeu cinctus tempora lauro
Late inter virides Haemi ſpatiaberis umbras,
Seu tentas ignota aliis, quaeque invida texit
Ingratis aetas tenebris primaeva, recludes;
Dexter ades: ſic noſtra tuo ſibi pagina plaudet
Nomine praeſcripto; ſic reddet digna Magiſtro
Dona ſuo: nec enim duce Te devexa pigebit
Me gemini juga Parnaſſi, Pindique canori
Luſtraviſſe adytus, ſacrumque hauſiſſe liquorem:
Ergo age, et ipſe etiam Muſis adſueſce vocari,
Dum ſua divini repetunt Idyllia cantus.
Vates, Divini Vates, quos Thaboris antra,
Et quos Bethlaei felices frugibus agri,
Et quos myrtetis laetiſſima Galgala, vos o,
Quos olim tenuit palmarum dives Idume,
Atque ferax cedri excepit Carmelus, et Hermon;
Vates, divini Vates, qui flumina propter
Jordanis, Cadeſque inter palmeta virentis,
Et Libanum circa montem, et declivia montis,
Venturum quoniam ceciniſtis, qui ſcelus altus
Antiquum, mortale genus ſuper aſtra locaret;

Vos

* Vid. Cantic. B. Mariae V. Lucae 1.

Digitized by Google

Vos ego (ſi quicquam merui) vos ſupplice vultu
Huc, precor, o properate; ſacro nam numine plena
Parthenis, ecce Dei depromit carmine laudes.
Te modo, perpetuo Mundum qui numine torques,
Terrarumque, hominumque Patrem, cui ſidera, cui Sol,
Cui mare, cui tellus, cui parent Tartara, ſummum
Magnificat mea vita, Deum, meus ipſe ſuperne
Spiritus exultans in magno auctore ſalutis.
Quippe ancillam humilem Coelo reſpexit ab alto;
Virtutemque dedit, victrix quâ ſternere dirum
Antiqui poſſem caput haud explebile monſtri;
Una mali immunis, nullique obnoxia culpae
Concipier Virgo, lutulenti criminis expers
Stirpis Adamaeae; dici divûmque, hominumque
Dulce decus, columen terrai, praeſidiumque,
Divipara uſque omni late celebrarier Orbe.
Hinc me felicem recinunt modo carmine gentes,
Laude meâ Coelum reſonat, mea gloria terram
Implet, namque meo jam ſalva eſt munere tellus.
Omnipotens, qui nomen habet ſuper omnia ſanctum,
Quique poteſt quod vult, nullo et molimine cuncta
Perficit uſque, ſuum quippe eſt opus ipſa voluntas,
Praemia multa mihi, multas dedit ille coronas,
Mille poteſtatum, et virtutum inſignia mille.
Ipſius et pietas, miſerûm quâ ſupplice fletu
Tangitur, et lacrymis, ultro quâ protinus ipſe
Opportuna adfert rebus ſolatia egenis,
Diditur in Judae proceres, natoſque, nepoteſque,
Egregias animas, totamque ex ordine gentem,
Quae colit aſſiduae Numen, votiſque precatur.
Jam Deus excelſo firmavit brachia Coelo,
Unde ſui cordis diſperſit mente ſuperbos,
Et proturbavit propriâ de ſede potentes;

At-

Atque humiles populos ſublimibus intulit aſtris:
Implevitque bonis, quos urget turpis egeſtas,
Ac plenos opibus per inanes diſpulit umbras.
Prolis amans veluti genitor, qui extollit in ulnas,
Et gremio puerum fovet, amplexuque; ita cretos
Iſacidum priſco, et regali ab ſanguine Patrum
Excepit Deus, adjuvitque, et reſtituit rem
Abramidum: pietatis enim non immemor, olim
Foedere quam ſtabili ſancto promiſerat Abrae,
Illius ac reliquis ventura in ſaecula natis.
Dixit, et avertens Superûm Regina, micanti
Lucem nube premens, roſeâ cervice refulſit.
Atque volans recto quâ panditur orbita tractu
Lactea, ſublimis patrium penetravit Olympum,
Et vera ingreſſa patuit Dea, lilia qualem,
Sive roſae, violaeque, crocique, atque alba liguſtra,
Undique divinum, ambroſiumque adflavit odorem.
Ille ego, qui viſu obſtupui, obtutuque laboro
Expleri, captamque altâ dulcedine mentem
Vix capio ipſe meam, ſub pectore ſentio dulces,
Quos animo inſpirat Superûm praeſentia, motus,
Sentio odoratam, et ſparſam concentibus auram;
Pectus inundat adhuc, torrentis more, voluptas,
Cordaque permulcent reſoni modulamina cantus.
O quae majeſtas animi! quae frontis honeſtas!
Quam pulcher vultus ſplendor! quam blandus in ore
Fatidico ridebat honos! quam dulcis, et undans
Parthenidis roſeo vernabat gratia labro!
Haeret adhuc animo haud obliviſcenda per aevum
Formaque, et ingenium, et Divae pudibunda venuſtas.
Candida erat blandos vultus, et eburnea colla,
Candida cervices rutilas, et tempora circum.
Candida frontem, oculos, et pulchras candida veſtes,

Can-

Candida Luna ſuas gaudebat lambere plantas,
Candida cingebant nitidâ caput aſtra coronâ,
Undique candor erat, tota undique candida Virgo.
Crimine primaevo nam cum depreſſa periret
Gens hominum, ſola eſt communi erepta ruinae;
Scilicet egregios animae coeleſtis honores
Ipſe Deus miſerans, fatali lege ſolutam
Foeda pati priſcae vetuit contagia culpae.
Vates, o ſacri Vates, ſi clauſa figuris
Divinae quondam ceciniſtis facta Parentis,
Si modo vos Superûm felici ſorte fruentes
Illius aeternas celebratis carmine laudes,
Vos mihi (ſi quicquam merui) concedite plectrum,
Et dignum tantâ concedite Virgine carmen:
Dum mea, Parthenidi, lauro meliore revinctus
Tempora, quodcumque hoc fuerit, modo ſupplice vultu
Carmen, io! recinam, ſua quo praeconia laudum,
Extollamque ſuos laetus ſuper aſtra triumphos.
Partheni, ſi tua te pietas ſuper aethera tollit,
Si te relligio, ſi virginitatis honores,
Si te virtutes reliquae longo ordine ſtipant;
Candori id tu primigeno, Jeſſëia, debes.
Plaudite io! gentes, manibus date lilia plenis,
Dicetur totum Virgo Immaculata per Orbem.
Partheni, ſi Numen Coelo deducis ab alto,
Si te conſtituit propriam Sapientia ſedem,
Si ſuper aſtra Deo tu Nato proxima regnas;
Candori id tu primigeno, Jeſſëia, debes.
Plaudite io! gentes, manibus date lilia plenis;
Dicetur totum Virgo Immaculata per Orbem.
Partheni, ſi te nos canimus, ſi floribus aras
Certatim ornamus; Coelum, mare, ſidera, tellus
Si te cognoſcant Dominam, Matremque ſalutant;

Can-

Candori id tu primigeno, Jeſſëia, debes.
Plaudite io! gentes, manibus date lilia plenis:
Dicetur totum Virgo Immaculata per Orbem.

IDYLLIUM X.

*JERUSALEM.

Ad Arcades.

QUo rapior? quaenam fluitat ſub corde voluptas?
Et nova quae pectus gaudia jam alliciunt?
Undique imaginibus mens aeſtuat; atque canendi
Sacra fames oeſtro me abripit inſolito,
Divinique oculis inſueti adflantur honores:
Proh mirum! quale hic prodigium video.
Heu, ſocii, date plectra manu, mea tempora ſacrâ,
Sum Vates, lauro cingite: Numen adeſt.
Sint procul hinc Muſae, procul hinc Cirrhaeus Apollo:
Nil mihi cum veſtris, Numina ficta, jocis.
Longe alius mentem ardor agit; dediſcere vatum
Somnia, et aethereâ me jubet ire viâ.
Sacra decent: ſacra me rapiunt ſpectacula. Nunc ô
Paulliſper dum Elegia reſiſtito. Moenia, et arcem
Sanctae Urbis Jeruſalem ego contemplor: ab alto
Cernite, ut Urbs Coelo deſcendat. Numinis Urbs haec
Lucem habet, atque Dei lumen par Jaſpide fulvo.
Olli quadra cubo facies, hinc ſpectat Eoas,

* Vid. Apocalypſ. XXI.

Jllinc Heſperias gentes, hâc reſpicit Auſtrum,
Atque illâc, crebri quâ ſtant nimboſi Aquilones.
Quattuor auratis latera haec ſplendentia pinnis
Panduntur ternis diſtinctis ſingula portis,
Quas ſuperi ſervant biſſeni, et nomina poſtes
Bis ſex condecorant Tribuum deſculpta. Smaragdus,
Chryſolituſque nitens, maculiſque infectus Achates,
Et quas Hermus habet, grandes miro ordine gemmae
Fundamenta locant biſſeno fulgida longe
Contextu lapidum. Hic pedibus calcantur euntûm
Stratae adamante viae; turrita palatia ſplendent
Facta fabre obrizo: gemmae undique, et omnia gemmae.
Quid referam, rubro exornata ut tecta pyropo
Solis inardeſcunt radiis, longeque renident?
Atria quid memorem Beryllo comta, vel auro?
Quid celebrem, quantum exſultent haec moenia divis
Aucta choris, uni divino dantibus Agno
Carmine delicias, centum et praeconia laudum?
Inſcia, mira ſibi quidnam ſpectacula poſcant,
Mens, animuſque anceps haeret; tamen omnia fauſta
Omine viſa putans, Divûm laetarier agmen
Audio: vox ſonat, et Coelum clamore reſultat
Interea: Ecce tabernaclum ſublime, decorum,
Grande Dei Solium. Ille Deus, qui Maximus, idemque
Optimus eſt hominum genitor, rerumque Creator,
Hanc ſibi delegit ſedem ſine fine Sionem,
Quam colat. Illi hic certa quies, hic certa voluptas;
Atque haec grata domus; ſola haec tentoria terris
E cunctis firmo voluit ſibi numine: deget
Hic homines inter, firmabit foedera, quae olim
Cumque Abraham, Jacob, Iſac, cum Davidis almâ
Progenie, Iſacidum regali ſanguine cretâ,

Aeter-

Digitized by Google

Aeternum ſanxit conſervatura per aevum .
Ipſi homines ſua gens ; erit ipſe Deuſque , Parenſque
Gentis ; et abſterget lacrymis rorantia obortis
Lumina ; triſte malum , et vis aſpera et improba mortis ,
Et dolor , et luctus , morbuſque , et turpis egeſtas
Abſcedent longe . Solio jam clamat ab alto :
Ecce novum eſt quodcunque vides , quodcunque videbit
Poſteritas , et nupera ſunt modo cuncta . Virago ,
Quae gravidata Deo poterit geſſiſſe tumentem
Verbo alvum , dici Virgo , atque puerpera , Coelum ,
Terraque erit nova . Et extemplo patefecit Olympum .
Atque novam video , pulchram , et ſine labe Sionem .
Salve , auguſta Sion , nimium dilecta Tonanti ,
Urbs fundata ſuper nubes , ſpectanda decore
Magno , et corruptae fugiens contagia terrae ,
Laetaque diſcluſo praebens ſpectacula Coelo .
Salve o Virginei ſolium regale pudoris ,
Et Charitum ſedes , Templumque , domuſque , Deique
Grande Tabernaculum centum ſublime columnis
Virtutum . Oh quam pura nites ! quam candida tota es !
Non tua , cum Boreas gelidis e rupibus exit ,
Ac ſtrepitu late nemora alta flagellat iniquo
Impete , perpetuo quatiet reſidentia ſaxo
Atria : non Auſter glomerans nigrantibus alis
Imbriferos nimbos , feriet tua tecta , nec ulla
Te vis quaſſabit , totus ſi corruat Orbis .
O Pater omnipotens , mihi quam ſunt limina Templi
Hujus cara nimis ! pectus , menſque ebria ſuavi
Laetitiâ propius geſtit vidiſſe Sionem .
O Sion ... At ſe ſe ex oculis jam tollit imago .
Tuque Elegia redi : impletum eſt nunc Virginis omen ;
Divina et quidquid viſa mihi retegunt .

Nec mea me fallit mens. Sum Vates: procul hinc o
Turba profana, procul cedite vulgus iners.
Vera cano; ſic Numen amet; ſic Diva benigno
Hos verſus vultu, quod precor, adſpiciat.



ECLO:

Digitized by Google

DECAS ALTERA
ECLOGARUM
DASMONIS ANDRIACI
P. A.

Digitized by Google

ECLOGA PRIMA.

*NOËMI.

AUdiit ex alto demiſſas aethere voces
Una olim Iſaeidum pulcherrima Nympha Noëmi,
Excubias pecoris ſerâ cum nocte trahebant
Paſtores, Ather quâ tangit ſidera turris:
Tum Zabulon, Zambrumque videns, ditemque Manaſſen
Arva, boves, pecudes, agnos, magalia, sylvas
Deſerere, ut moniti ſignis, et numine divûm
Bethlaeas monſtrante caſas, antrumque ſubirent,
Ipſa inter lacrymas pectus percuſſa decorum
Ter, quater, adgreſſa eſt ſic farier: Heus modo greſſus
Quo vos, Paſtores? an quo via ducit in antrum
Bethlem? vobiſcum veniam; ſub rupe jacentem
Ah! ſinite, et videam pungentes inter ariſtas,
Et lac ſugentem Genitricis ab ubere, quem vox,
Quem modo vox ſuperûm Coeli demiſſa per auras
Infantem recinit Jeſſaeâ Virgine natum.
Paſtores, ſinite ah! veniam, videamque Puellum.
Illi ego dona feram praeſtanti corpore binos
Tempora odoriferis praecinctos frondibus agnos:
Alba liguſtra legam, narciſſos, lilia, et omnes
Sponte ſuâ quos fudit humus gratiſſima flores.
Floribus intexam cunabula, floribus antrum
Conſpergam, puerum praecingam floribus ortum:
Paſtores ſinite ah! veniam, videamque Puellum.
Non facit ad ſomnos nox haec; quae laeta tenebris
Libera nocturnis meliori Sole coruſcat.
Prodiga ſignorum mater nox aurea! rorant

Spon-

* In Domini Natalem Diem. Habita Romae in publico Arcadum Coetu An. 1753.

Sponte ſuâ Engaddi jam dulcia balſama vites,
Sponte ſuâ quercus jam ſudant roſcida mella,
Lacte fluunt colles, jucundo nectare montes.
Impavidi ſaevis ſociantur tigribus agni,
Concordi vitulis ſociantur pace leones,
Non metuunt depaſta lupos armenta; vagatur
Jam nullo cuſtode pecus, non crate ſaligno
Clauditur, aut texto compellitur haedus hibiſco.
Cernite, ut exorto laetatur Numine tellus.
Paſtores, ſinite ah! veniam, videamque Puellum.
Progenies hic magna Dei, et Patris incrementum,
Quo duplex natura coit, quo panditur Orbi
Lux, via, vita, ſalus: verax Deus, atque homo Chriſtus
Ecce diu optatus prodit Servator in auras.
Hunc poſt diluvium pulcherrima concinit Iris,
Atque columba ferens ramum vernantis olivae.
Hunc et flore virens ſignavit vimen Aronis,
Atque rubus Moſis flammâ in crepitante vireſcens.
Hunc et non madidum vellus Gedeonis ab imbre,
Atque triumphalis promiſſi foederis Arca,
Hunc et venturum divino numine Jacob;
Hunc Daniel, hunc Jeſſides, hunc cetera divûm
Turba Prophetarum cecinit de Virgine natum
Venturum excidio Chanaan, terraſque potentes,
Et maria alta iterum Solymis in regna daturum.
Paſtores, ſinite ah! veniam, videamque Puellum.
Hic mihi cor rapuit; rapto hic de corde triumphat.
Paſtores, ſinite ah! veniam: ſua furta Parenti
Nam referam, deque illo coram judice Matre
Conquerar. Ah Mater, dicam, quod ſuſtulit Infans,
Ah Mater, neſcis, rapuit cor. Tu bona Mater,
O faveas, precor, o noſtro ſis aequa dolori.
Artes arte puer texit; ſubducta pateret

Ne res, rem gremio jam condidit. O age Mater,
Faſciolas pueri reſera, ne parce labori,
Et mihi faſciolas inter certe invenies cor.
Me ſi forte rogas, an cor ſua ſigna recludat,
Signa dabo: turpi invenies cor labe notatum,
Cor ſtringes umbrâ levius, cor durius aere.*
Haec referam Matri; ſed quae mihi ſomnia fingo?
Felix, o nimium felix! tua ſi bona noſti;
Sorte tuâ cor diſce frui, quid pulchrius uſquam eſt,
Vivere quam nato ſemper cum Numine felix?
Hic mihi cor furtim quamvis ſublegit, iniqui
Labe vacat furis: ſibi, non mihi fecerat hic cor.
Auctoris ſit oportet opus, qui fecerat: ergo
Si natum dabitur puerum mihi viſere, dicam:
Belle puer, formoſe puer, mea ſola voluptas,
Cor tibi ſit, tibi ſponte fero pro pignore pignus.
Incipe cum noſtro nunc ludere corde; ſed unum
Id vereor, ne vana feras ſolatia ludo.
Cor lapis eſt: petis unde tibi ſolatia? redde,
Redde, puer, cor. Sed quae me dementia coepit?
Belle puer, formoſe puer, mea ſola voluptas,
Cor tibi ſit, tibi ſponte fero pro pignore pignus.
Si rurſum cor forte petam, ne redde petenti,
Te Dominum cultu, Dominum te noſcat amando
Dicere, ſolus enim noſtro tu dignus amore es.
Paſtores, veniam.... Dixiſſet plura Noëmi;
Sed calamos inflare leves, et dicere verſus,
Flore novo incipiunt laetas vincire capellas
Paſtores; Bethlemque adeunt, Numenque ſalutant.
Virginei partus tanta inter ſigna Noëmi
Sola domo moeret vacuâ, tamen aeſtuat, ardet,
Uritur, atque abſens abſentem auditque, videtque
Infantem. Quis enim miracula neſcit Amoris?

E C L O G A II.

* P A R T H E N I S.

Daſmon, et Thyrſis.

Daſ. *PArthenidis laudes, et grandia facta canamus,*
Paſtores. Redit ecce dies, quâ nulla refulſit
Candidior: formoſa dies, quam ſaecula tandem
Tot poſt annorum curſus, poſt mille gementûm
Vota Prophetarum, terrâ plaudente, tulerunt.
O felix, o fauſta dies! Jam criminis expers
Concipitur Virgo ſterili Genitricis in alvo,
Virgo decus Coeli, ſuperûm jucunda voluptas,
Orbis amor, ſummum Virgo paritura Tonantem:
O quae conciperis Judae de ſanguine Regum
Intemerata, hominum Mater dulciſſima, ſalve.
Arcades o, quibus eſt animi vigor, atque canendi
Virtus, conceptam cantu celebrate Puellam.
Egregium victoris erit pro carmine munus
Effigies, blandam quae picta coloribus offert
Parthenidis formam, virtutum symbola, et omnes,
Quos retulit ſtygio devicto ex hoſte triumphos.
Thyr. *En adſum, Daſmon, tecum certare paratus.*
Feſta dies haec eſt, alterno ludere verſu
Eſt animus: dignum cantemus Virgine carmen.
Daſ. *Incipe ſi quid habes; te pone ſequar: mihi carmen,*
Muſae, noſter amor, concedite Virgine dignum.
Thyr. *Cingite Apollineâ, Vates, mea tempora lauro.*
Cum medium nuper Coelum nox atra tenebat,
Mille ſuo Lunam ſpargentem lilia vultu
Adſpiciens, dixi: ſummo ſic fulget Olympo
Par-

* Ex Cantic. VI. 9. *Progreditur quaſi Aurora conſurgens, pulchra ut Luna.* Habita in Arcadum Colonia Alethina An. 1756.

Parthenis, et ſuperos inter ſic illa beatos
Incedit Regina potens, dominatur et aſtris.
Virgo Parens, alio celebrent te nomine Vates,
Semper ego Lunam, mea vel poſt funera, dicam.
Daſ. *Cingite Apollineâ, Vates, mea tempora lauro.*
Cum praeceps nuper nox inclinata ruebat,
Auroram roſeo ſpargentem gaudia vultu
Adſpiciens, dixi: Divinam Aurora Parentem
Exprimit: ob noſtrae quam bella eſt Matris imago!
Virgineos nam ſola refert Aurora triumphos.
Virgo Parens, alio celebrent te nomine Vates,
Semper ego Auroram, mea vel poſt funera, dicam.
Thyr. *Nocti Luna praeeſt; ſomnum nox alma miniſtrat;*
Somnus alit vires; floreſcit viribus aetas.
Virgo praeeſt paci; pax gaudia, gaudia Mundo,
Aurea ſaecla ferunt, ſolvunt formidine terras.
Daſ. *Solem Aurora parit; radios Sol explicat; orbem*
Illuſtrant radiorum imbres, et luce coronant.
Virgo Deum genuit; mortem tulit iſte; ſalutem
Mors peperit; Mundus vitam hinc, lucemque recepit.
Thyr. *Cum redit, et pleno flammas dat Cynthia vultu,*
Ceu famulas inter ſtellas Regina coruſcat.
Talem te populi, Virgo, ſuperique ſalutant,
Teque ſuam obſequio Dominam cognoſcere certant.
Daſ. *Aurorâ redeunte, cadunt jam ſidera Coelo,*
Luna latet, Dominam agnoſcit, Coelumque reſignat.
Concipitur cum Virgo Parens, non ora tueri
Audent Coelicolae, ſed magnum nomen adorant.
Thyr. *Purior argento ſplendet, dat lilia vultu*
Luna; hoc argentum, atque haec lactea lilia ſignant
Virginei candoris opes, quibus una pudorem
Exſuperat Virgo, quibus una ſit aemula Nato.

Digitized by Google

Daſ. *Vultu Aurora roſas, radiiſque rubentibus aurum*
Explicat; illa roſis divinum oſtendit amorem,
Quo Lunam, et Stellas, Solemque accendis; et auro,
Virgo, tuas recludis opes, quibus omnia ditas.
Thyr. *Luce ſuâ noctem, atque lupos ſub nocte latentes*
Luna fugat, ne forte ruant, et ovilia perdant:
Luce ſuâ nos Virgo regit, nec retia tantum
Illa docet, ſtygium ſed retibus implicat hoſtem.
Daſ. *At noctis latebras aperire, et ludere parvum eſt;*
Noctem Aurora domat: fraudum quod retia Virgo
Vertat in auctorem, nihil eſt; quod fuderit Orcum,
Hoc decus, hoc opus, hic dignus labor Heroinâ.
Thyr. *Pinguia ſi noſtris miramur paſcua campis,*
Rore ſuo noſtros ſecundat Cynthia campos.
Si pietas populos regit, et concordia Reges,
Per te, Virgo, regit; tu vena perennis amorum es.
Daſ. *Si grex gaudet agris, et lacte tumentia ſemper*
Ubera fert, Aurora, tuum eſt. Si foedere gentes
Divino gaudent, et foederis otia captant,
Te foedus, Virgo, te noſcunt otia fontem.
Thyr. *Stat contra, et radios adverſo Cynthia Sole*
Haurit, et in terras ſpargit. Stat proxima Nato
Diva ſuo; fert ecce preces, et munera mille
Ducit, et in populos, quae duxit, munera ſpargit.
Daſ. *Quid radios memorem? dat Solem Aurora: quid illo*
Pulchrius eſt, aut eſſe poteſt? cur munera laudem?
Quando ipſum dat Virgo Deum, quo ſola triumphat
Tellus, atque ipſi non invidet aemula Coelo.
Thyt. *Ut Phoebo faveant, plauſum dant aſtra ſorori,*
Et rerum Dominam tellus, Coelumque ſalutat:
Ut Domino placeant tellus, mare, ſidera, magnae
Quot poſſunt Matri laudum praeconia libant.

Daſ. *Au-*

Daſ. *Auroram Sol ipſe canit, Matremque fatetur*
Ecce ſuam, quid plura? ſuae Sol praeco Parenti eſt.
Te Matrem, Virgo, celebrat Deus: ergo quid ultra
Expediam? Deus uſque vocet te, Virgo, Parentem.
Thyr. *Victor eris, paſtor, mihi ſi nunc carmine dices,*
Cynthia cur niveo rutilet ditata decore?
Daſ. *Victor eris, paſtor, mihi ſi nunc carmine dices,*
Cur terram exhilaret victis Aurora tenebris?
Thyr. *Paſtores hederâ mea cingite tempora; vicit,*
Vicit io, auguſtum referens mea Luna triumphum.
Daſ. *Paſtores, hederâ mea cingite tempora; vicit,*
Vicit io, auguſtum referens Aurora triumphum.
Thyr. *Luna fave, noctemque doma, dum mille periclis*
Noſtra ſalus agitur; duce te, potiatur Olympo.
Daſ. *Sis felix, Aurora; tuum da viſere Solem*
Poſt noctem, fac te laudem cum Sole Parentem.
Talia cantabant Vates, quos Virgo canentes
Audiit; audiſſet, ſi plura, et plura dediſſent
Carmina; divinam delectant carmina Matrem.
Interea geminae volitarûnt aethere palmae,
Altera, Daſmonem quae cingeret, altera Thyrſin.

ECLO-

Digitized by Google

ECLOGA III.

* EPISTROPHE.

Melliboeus, et Tityrus.

Mel. *Tityre, jam roſeos ſurgens Aurora capillos*
Extulit, haerenteſque ſolo jam diſpulit umbras,
Atque diem complexa ſinu mortalibus aegris
Inſtantem Phoebi rutilum denunciat ortum;
Sidera diffugiunt, fulgentque cacumina montis;
Excute tu ſomnum, pecudes ad paſcua pelle.
En caulae portam durâ cervice retundit
Carceris impatiens aries: mollique bidentes
Balatu, ſaltuque petunt ad paſcua duci:
Excute jam ſomnum, ſtabuli jam limina pande.
Tit. *Heu! nimis importunus ades, placidamque quietem*
Rumpere, more tuo, gaudes, Meliboee! Quid ultra
Et rura, et campos raucis clamoribus imples?
Quae noſtri tibi cura gregis? Tu pelle juvencos,
Pelle Patris pecudes ad paſcua nocte ſub atrâ,
Si libet, in medio vel dum Sol fervidus axe eſt.
Alterius ne cura gregis te futilis angat.
Heu! jucunda nimis turbaſti ſomnia, dum me
Clamore, et ſtrepitu ſomnum depellere cogis.
Si modo quae vidi, vidiſſes, crede, jaceres
Stratus adhuc paleis forſan, Meliboee; vocaret
Te fruſtra Genitor, fruſtraque Noverca querelis
Cogeret immodicis gratos abrumpere ſomnos.
Mel. *O bone, ne doleas, irarum comprime fluctus:*
Somnia viſa refer; te mox mihi viſa docebo:
Nam, mea ſi facilis modo vota ſecundet Apollo,
Obſcurum quidquid referunt tua ſomnia, pandam;

Si

* Pro D. Petri, et Pauli laudibus. Habita Romae in Arcadum Coetu Anno Jubilaei.

Si te Phoebus amet, tu ſomnia noſtra recludes.
Tit. *Paſtorem vidi recubantem in vertice montis,*
Qui vultus graciles, ac lumina plena ſerenae
Majeſtatis habet, multis venerabilis annis.
Dumque novum ſacrâ modulatur arundine carmen,
Undique quod montes, colleſque, atque antra remittunt,
Linquere prata gregem vidi, tum dulce canenti
Circumſtare immotum, intentumque ora tenere;
Limite tum vidi telluris ab uſque remoto,
Seu quâ Sol oritur, ſeu quâ Sol occidit, et quâ
Axe ſub oppoſito Mundi pars ultima ſquallet,
Et gelidâ tellus longe eſt porrecta ſub Arcto,
Cuſtodes ovium venientes, ſeque, gregeſque
Illius imperio, ceu Patri ſubdere, totque
Septa, gregeſque unâ, atque unum recludere caulas.
Haec dum mirarer, nimis importunus, et exlex
Dulcia tu noſtrae rapuiſti ſomnia menti.
Mel. *Siccine caecutis? Tibi ſiccine hebes modo mens eſt,*
Ipſius ut veri lumen, praeceptaque vitae
Qui prior e Syriâ Thyrrenis intulit oris
Ignores? An forte novus tu ad Tybridis undas
Advenis, ut, quae omnes prorſus novere bubulci,
Te lateant, neque mox tam clarâ in imagine noſcas?
Ille quidem Paſtor reſidens in vertice montis,
Ille Simon, claro dictus cognomine Petrus,
Cui, paſce, aethereâ demiſſa ex arce Tonantis
Unica progenies, magnum Patris incrementum,
Paſce meos agnos ſacris in montibus, inquit;
Protinus et Coeli claves concredidit, illum
Praefecitque gregi, et Paſtoribus; omne coactum
Tum pecus hinc, illinc divino in foedere novit
Unum Paſtorem, atque unum cognovit ovile.
Tibia, quae ſonitum terram demittit in omnem,

Prae-

Praeſignat vocem, divi quae nuncia veri
Aethiopum populos, Perſas, Garamantas, et Indos,
Atque Arabas, priſcos cogit dediſcere mores;
Ut collectae omnes utroque ab litore gentes
Miteſcant animis, et verum Numen adorent.
Tit. Audieram primis, Patre haec narrante, ſub annis;
Sed mente exciderant; unde harum oblivia rerum?
Argue, nam merui: mihi ſed tua ſomnia narra.
Mel. Sanguineum, horrendumque lupum per ovile vagantem
Adſpexi teneras rapientem matribus agnas:
Saepe et oves, totumque gregem diſperſit, et ipſos
Paſtores rabido vigiles ſaepe ore momordit.
Terruit hunc ſed enim demiſſum fulgur ab alto,
Atque ſolo ſtravit, ceu cum venator acutum
Infixit jaculum cervo, laterique reliquit
Haerens; haud aliter ſenſit lupus ille ſuperne
Terrorem immiſſum, pecudes qui terruit omnes.
Mox illum vidi ſenſim, mirabile dictu!
Terrâ aſſurgentem, formam deponere primam,
Verti et inque agnum, nitidumque adſumere vellus.
Sed quamvis faciem demiſerit ille priorem,
Atque gregi copulatus, oveſque imitatus, atroces
Exuerit mores; atrox tamen ore furentes,
Impaſtoſque lupos longe pellebat ovili.
Atque alios exinde agnos adducere caulae
Coepit, quaeque minus tuta, et quae paſcua ſana,
Paſtores omnes exemplo, et voce docebat.
Tit. O Meliboee! nova haec tibi ſunt? Haec ſomnia noſſe
Illico debueras; noſtro nam clarius iſtud
Viſo: num ignoras illum, qui miſſus ad omnes
Docturus gentes, huc noſtris appulit oris,
Hocque ſolum verbo, proprioque cruore ſacravit?
Ille equidem primum gladioque, miniſque Fideles
Chri-

Chriſti divexabat, non ſecus ac lupus agnos.
Cumque illos contra majori ardeſceret irâ,
Atque invectus equo, turbâ comitante, Damaſcum
Pergeret; en ſubito demiſſus ſplendor ab alto,
Et dejecit equo, viſumque patenter ademit;
Fitque olim Saulus mutato nomine Paulus.
Mel. *Tityre quid ceſſas? noſtro cur carmine ſummos*
Tollere ad aſtra viros jam nunc non pergimus ambo?
Tit. *Ludis, an ex vero loqueris Meliboee? bubulci*
Non opus hoc; labor eſt vatum, qui carmine pollent
Divino, et quibus eſt animus divinior, et mens.
Mel. *Arcadiae interdum vates coeleſtia tractant;*
Nec ſemper reſonare docent Amaryllida ſilvas;
Ut pecudes nunc valle cavâ, nunc montibus altis
Paſcuntur. Tu, macte animo, mecum incipe carmen.
Tu magni Paſtoris eris laudator, at ipſe
Praeclarum laudare lupum, qui verſus in agnum,
Quas mane eripuit, tum veſpere dividit eſcas,
Dein pergam; cyathum hunc, fueris ſi victor, habebis,
Sin victus, reddes maculatum pellibus agnum.
Tit. *Decertare modo quoniam tibi carmine mens eſt,*
Audebo; cedentque tuis mea carmina, quantum
Quercubus excelſis humiles, lentaeque geniſtae.
Rete, ac navigium liquit, Paſtoris et artem
Suſcepit Petrus: huic caros et credidit agnos
Aeternus Paſtor, quos ipſe cruore redemit.
Incipe Paſtorum, mea tibia, plaudere Patri.
Mel. *Qui lupus ante rapax fuerat, ſe vertit in agnum;*
Qui late in pecudes diro prius ore furebat,
Mox abigit, pellitque lupos, pecudeſque tuetur.
Cuſtodi egregio, Paſtores, plaudite ovilis.
Tit. *Petra fuit Petrus: ſuper hanc immobile regnum*
Condidit Omnipotens: gentes properate, ſalutem

Digitized by Google

Fruſtra optat, regno qui ſit ſecluſus ab iſto.
Incipe Paſtorum, mea tibia, plaudere Patri.
Mel. *Coelitus eſt Paulus gentes delectus ut alto*
Inſtrueret verbo: gentes properate, fidelem
Edocet ille gregem, paſtores edocet ille.
Cuſtodi egregio, Paſtores, plaudite ovilis.
Tit. *En Petrus ſervat geminas in pectore claves,*
Et quâ coeleſtis reſerantur limina regni,
Quâque acherontei clauduntur limina averni.
Incipe Paſtorum, mea tibia, plaudere Patri.
Mel. *En Paulus properat Romani ad Tybridis undas,*
Infernae fugiunt umbrae, errorumque tenebrae;
Ceu cum Sol nitidâ colluſtrat lampade terras:
Cuſtodi egregio, Paſtores, plaudite ovilis.
Tit. *Dic mihi quis noſtram, purgatis ſordibus, urbem,*
Divinâque fide, verâ et virtute ſacravit?
Mel. *Dic mihi, quis vivens, noſtri ceu corporis expers,*
Sublatus terris ſuperûm penetravit in aulam?
Tit. *Ipſe duos Soles aequali luce micantes*
Vidi, quiſque ſuis radiis illuminat orbem.
Mel. *Ipſe duas vidi ſtantes, celſaſque columnas,*
Quaeque illabentem ſuſtentant fortiter orbem.
Tit. *Deſine jam, Meliboee: pares ſunt laudibus ambo,*
Nec valet his dignas perſolvere tibia laudes.
Adſpice, Phoebus iter medio terit altus Olympo.
Quae mora? cogamus nemoris pecus omne ſub umbram;
Tuque tuum cyathum teneas, agnum ipſe tenebo.

ECLO-

ECLOGA IV.

* RUSTICATIO.

Meliboeus, et Daſmon.

Mel. *AEſtus abit, Daſmon; pomis jam plenus, et uvis,*
Pampineiſque venit redimitus tempora ramis
Frugifer Autumnus: Cives jam noſtra frequentes
Laetitiâ implebunt, ſtrepituque, et plauſibus arva.
Daſ. *Quid memoras, Meliboee? utinam non mitior unquam*
Noſtra haec Autumnus Cives revocaret ad arva.
Mel. *Semper et hoc fuerit, quod publica gaudia triſtis*
Adſpicias, caput inſulſum, dignumque frementûm
Degere perpetuò per inhoſpita luſtra ferarum!
Si tibi diſpliceant Cives, procul o, procul ito.
Aut arctâ te conde caſâ; quin claude feneſtram,
Claude fores, ne forte tuas quis laetus ad aures
Obveniat clamor; latebris tum ſolus in illis
Luſibus innocuis vecors, et inutilis hoſtis
Et nos, et Cives, et publica gaudia damna.
Daſ. *Laeta placent juveni; juvenis juvenilia garris;*
Experto mihi crede ſeni; campeſtria ſemper
Otia rixoſi turbant dulciſſima Cives.
Urbe ferunt noſtra haec inter magalia vitae
Crimina civilis, luxuſque, doloſque, tumultuſque,
Et quae deturpant ſanctos foediſſima mores.
Adſpice, quae dudum pagis ignota, malorum
Graſſetur ſeges: hos ipſos conſtructa per agros
Si procerum ſubeas fortaſſe palatia; cernes
Aulaea, et veſtes oſtroque, auroque rigentes,

* Habita Romae in Parrhaſio Anno 1754.

Digitized by Google

Inſtratoſque toros molli de ſtramine ſerum,
Murice fulgentes Tyrio, pulchroſque tapetas,
Barbara quos variavit acu Milotide Memphis,
Fictaque cum vivis certantia vultibus ora,
Et totum variis pictum laqueare figuris;
Quaeque abaco radiant argentea, et aurea vaſa,
Artificum caelata manu, et multum aſpera ſignis.
Mel. *Aſt ego, tu procerum, quae deſpicis, aurea tecta*
Incolerem potius, quam noſtra mapalia, Daſmon;
Menſa ubi diſparibus pedibus male fulta vacillat;
Ut ſuper impoſitâ nequeat conſiſtere teſtâ;
Sitque tibi tam anguſta domus, tam curta ſupellex,
Ut deſit, quâ conſidam, vel lignea ſedes.
Daſ. *Nunc, velut excelſo qui ſpectat ab aggere campos,*
Adſpice tu coenas Procerum, accubituſque ſuperbos
Aureis inſtratis, inter matreſque, nuruſque
Eois tectas opibus, cultuſque profuſi
Mole laborantes, et gemmis mille colorum,
Quae inſuetum noſtris jaculantur fulgur ocellis:
Inſpice ſervorum vulgus, turbamque miniſtram
Fercula portantem, et pateris ſpumantia vina,
Quae Cyprus, et Rhenus, ſeu quae Burgundia mittit,
Seu procul a noſtro diviſa Canaria mundo.
Adſpice et hinc Proceres auro fulgere; ſuoſque
Paſcendis mimis, balatronibus, ac nebulonum
Turpiter agminibus, pingues abſumere cenſus.
Adſpice et inde Epicuri quoſdam de grege porcos,
Ventri indulgentes, rabido ventriſque furori,
Mane et nobilium convivia adire, paratis
Veſpere nobilium et coenis adſtare, lepores
Nunc ſerere, et Cynici riſus captare dicaces;
Plaudere nunc mimo falſa, aut obſcoena jocanti.
Mel. *Hoc bene: namque bonum eſt alieno vivere cenſu.*

Diſ-

Diſſere, quod ſupereſt . . . .
Daſ. *Pejora canenda: ſed ultra*
Dicere ſancte pudor, lex et ſanctiſſima morum,
Jure vetas, ſiluiſſe juvat, Meliboee; quod aevo
Segniter hoc noſtro in turpes conceſſit abuſus..
Quod ſupereſt paucis dicam, ne te morer; audi,
Quo rem deducam, videar tibi ne nimis acer
In ſatyra. Urbani turbant ſic noſtra tumultus
Otia, ſic virtus paulatim hinc pura receſſit,
Ut nihil, aut minimum diſtent nunc Urbibus arva.
O ubi libertas, paſtorum dulce levamen!
O ubi ſimplicitas, noſtris bene cognita ſilvis!
O ubi ſtat pietas ſummo dilecta Tonanti!
Tempus erat, cum blanda quies, cum grata voluptas,
Et procul invidiâ, curarum, et neſcia fraudis
Vita, expers labis, contentaque paupere tecto
Jamdudum noſtros coluit dulciſſima campos.
Tunc pictae Coelo volucres plaudentibus alis
Feſtivo reſonum pulſabant aëra cantu;
Tunc placido Zephyri ſpirantes flamine molles,
Tunc et manantes dumoſo vertice rivi,
Tunc et ſtillantes jucundo murmure fontes,
Flumina ſaxoſas inter ſtrepitantia valles,
Herbaque tranquillum non abruptura ſoporem
Agricolûm ſolamen erat. Tunc laeta colonis
Donabat facilem victum juſtiſſima tellus;
Tunc et lanigerae praebebant pura bidentes
Vellera, ſpernebant tunc noſtri holoſerica Patres,
Palliaque, et Tyrio ſaturatas murice veſtes;
Tunc non ſollicita ambitio, urbanique tumultus,
Non favor inſtabilis vulgi, non gratia Regum,
Non ſpes vanae animos, nec inania vota movebant.
Crediderim certe, quondam regnante beatam

Sa-

Digitized by Google

Saturno hanc homines vitam duxiſſe per orbem.
Mel. *Verum agedum, Daſmon, facili deducere venâ*
Incipe, et agreſtes ex tempore promere cantus.
Triſtitiae cantus lenimen erit: tibi ſeptem
Ipſe feram patulo redolentia mala caniſtro,
Si dulce argutâ moduleris arundine carmen.
Daſ. *Ludis? an ex vero tu nunc me ad carmina poſcis?*
Lude: placent ſancti noſtra inter ſeria luſus.
Hoc deerat; ſicco quaeris de flumine lymphas;
Non eadem eſt aetas, non mens eſt omnibus una,
Omnibus ut rebus non omnis idonea tellus.
Mel. *Parce jocis, Daſmon; carmen moduleris oportet.*
Incipe; et urbanos quoniam contemnere mores
Mens eſt; urbanos contemnere carmine mores
Perge age; dumque bonos ad noſtra mapalia Cives
Carmine compellabo, ipſos tu carmine Cives
Ne cupiant ſubiiſſe mapalia noſtra, moneto.
Daſ. *Incipe, Tu Meliboee prior; nos deinde ſequemur.*
Mel. *En redit Autumnus, redeunt ſolemnia Baccho,*
Laetaque jam plenis ſpumat vindemia labris,
Pomaque confertos curvant onerantia ramos;
Cives, rura vocant; ad rura accedite, Cives.
Daſ. *En redit Autumnus, ſpirat clementior aura,*
Urbe ſedere licet, primaſque reſumere curas,
Quas intermiſit nimiis fervoribus aeſtas;
Cives, rure procul; ne ad rura accedite, cives.
Mel. *Retia rara, plagae, lato venabula ferro,*
Figere ſeu cervos libeat capita alta ferentes,
Seu capere inſidiis lepores, jam cuncta parantur:
Cives, rura vocant; ad rura accedite, Cives.
Daſ. *Heu! animum, pectuſque feris crudelius ipſis*
Geſtat, qui innocuum gaudet ſparſiſſe cruorem;
Non decet haec faciles animos tam dira voluptas.

Ci-

Cives, rure procul; ne ad rura accedite, Cives.
Mel. *Jam ficto volucres modulamine decipit auceps;*
Implicat illa pedes laqueis, illa implicat alas.
Cives, rura vocant; ad rura accedite, Cives.
Daſ. *Haec nimis oblectant; ſtudiiſque avertere mentem*
Saepe ſolent; pravos praeſtat compeſcere motus,
Virtutemque ſequi, quam ſe ſe his dedere nugis:
Cives, rure procul; ne ad rura accedite, Cives.
Mel. *Dulce erit umbroſâ, viridique in margine fontis*
Cernere, ut attrahitur fallaci piſcis ab hamo,
Artibus utque aliis piſces capientur in undis:
Cives, rura vocant; ad rura accedite, Cives.
Daſ. *Undis, heu! citius fluit irremeabile tempus,*
Alipedeſque volant avibus velocius horae;
Illas tam levibus ſcelus eſt impendere curis:
Cives, rurè procul; ne ad rura accedite, Cives.
Mel. *Pene fatiſcentes duro ſub faſce laborum,*
Ut relevent animos, ſectentur ut otia vitae
Pampineas inter frondes, tumidoſque racemos,
Bacchique, atque inter Pomonae munera, jamnunc
Plena voluptatis, dulci compoſta quiete,
Cives, rura vocant; ad rura accedite, Cives.
Daſ. *Non daret Autumno tellus pro tempore fructus,*
Ni foret ingenti multum verſata labore;
Sic, niſi mens ſtudiis multum, aſſidueque teratur,
Languebit ſegnis, ceu pomis arbor ademptis.
Cives, rure procul; ne ad rura accedite, Cives.
Mel. *Omine rura vocant fauſto . . . . .*
Daſ. *Meliboee, ruit nox,*
Et multus cecidit nigris e nubibus imber:
Deſine, nam rurſum pluviae dant nubila ſignum.
Adſpice, diductis olfactant naribus auras
Erectâ cervice boves; en rana querelas

Li-

Limoſo renovat veteres in gurgite: corvus
Triſte minans, vigileſque grues, atque improba cornix
Praecipitem de nube vocant clamoribus imbrem.
Ad ſua ſepta boves, compelle ad ſepta juvencos
Ipſe meas ſaturas deducam ad tecta capellas.

ECLOGA V.

* VOTUM.

Daſmon, et Meliboeus.

Daſ. *DA calamum Meliboee, novus me concutit ardor:*
Ibo, Quirinalis penetrabo interritus Aulae
Limina, nec vultu me Helvetica turba ſevera
Arcebit procul, adſcendam, ingrediarque cubile,
Paſtor ubi ſummus, noſtris venerabile nomen
Eganus in ſilvis, morbo recreatus acerbo
Incolumis fruitur renovatae munere vitae.
Mel. *Inſanis, Daſmon: nunc tu, viliſſime Paſtor,*
Inter tot vigiles famulos, aulaeque miniſtros,
Inter tot Proceres, inter tot grandia credis
Nomina, adoratis dare ſupplex oſcula plantis;
Atque impreſſa notis coeleſtibus ora tueri
Pontificis? mihi dic, quid ſummo a Principe poſcis?
Quidve petis? mihi fare: cupis ſi promere verſus,
Falleris, ah! Daſmon, non hoc vult carmina tempus.
Munera fer Superis, et Numina ſancta precare,
Eganus ut longos feliciter impleat annos,

Red-

* Pro reſtitutâ valetudine BENEDICTO XIV. Habita Romae in publico Arcadum coetu an. 1757.

Reddaturque ſuae, domito languore, ſaluti.
Daſ. *O caput egregium! an neſcis, Meliboee, Quiritûm*
Tota quod Urbs, quod tota ſimul vicinia novit?
Eganus . . . (ex oculis lacrymas amor exprimit) ille
Eganus, Arcadiae decus, et ſpes maxima Romae,
Dulcis amor populorum, et Divûm maxima cura,
Eganus . . . (ah quoties Superos in vota vocavi,
Olli ut praeſtarent longaevae munera vitae)
Convaluit ſoſpes, victâ jam morte: ſerenum
Cerne, ut purpureo ridet modo lumine Coelum;
Cerne, ut jam nitidi redeunt poſt nubila Soles,
Urbs effuſa ruit, plauſuque inſueta reſultat,
Aera canora ſonant, reboant tormenta, frequenſque
Clamat io populus, reſonant fora, compita, et arces,
Omnia laetitiae dant ſigna, atque omnia plaudunt,
Feſtiſque ingeminant clamoribus, Egane, vivas
Et Romae, et Fidei, repetunt ſimul, Egane, vivas.
Inter tot plauſus, inter tot gaudia, et ipſe
Ibo audax, verſuſque canam, fortaſſis in aures
Primus ego ſacras effundam carmina; non me,
Crede, ſupercilio adſpernabitur Eganus atro,
Regalique procul me non arcebit ab aulâ.
Primus ego illius, Paſtorum nomine, dicam
Et merita, et laudes, mox, quae praeſagia Coelum
Promittat, fauſto, nec inani carmine, pandam.
Primus ego non magna feram illi incommoda, nil et
Pro me depoſcens, ſupplex id ſcilicet unum,
Ut ſoſpes nobis vivat, valeatque, precabor.
Mel. *Vera mones, Daſmon, licet ire. En protinus ipſe*
Pone ſequar; laterique adſtem, niſi forte recuſes.
Daſ. *Quin placet: ambo igitur, quae tunc dixiſſe juvabit,*
Carmina nobiſcum tacitâ modulemur avenâ.
Mel. *Incipe, te vatem celebrat Nonacria tellus.*

Daſ. *Plaudite, Pierides, date carmina, promite laudes:*
Paſtorem noſtris ſervarûnt Numina ſilvis.
Fallor? an extollit fulvâ Tyberinus ab urnâ
Floriferum caput, et lacrymantia lumina tergens,
Plaudite, io! clamat? non fallor; Tybris ab amne
Fronde coronatus ſua tempora munera libat
Ante aras, cumulatque ſacris altaria donis,
Perſolvit ſua vota Deo pro ſoſpite magno
Egano, et Aonias revocans ad carmina Muſas,
Majori celebrare ſono facta incipit almi
Paſtoris, nomen late immortale, decuſque,
Invictumque animum, innocuos ſine crimine mores,
Sublime ingenium, et mentem ſimul undique plenam
Divitiis Sophiae, Themidiſque, et Palladis arte.
Tum recinit laetos auguſtae frontis honores,
Munificaſque manus, facilemque ad praemia dextram,
Pectus et heroum magnâ virtute refertum,
Et Latiâ quondam quae munia obivit in aulâ,
Quoſque tulit verâ pro Religione labores,
Ac tot doctrinis conſperſa volumina ſacris,
Tradita tot Fidei, tot prompta oracula morum,
Quae populos, et regna docet, ſeroſque Nepotes
Eganus inſtituet, longumque docebit in aevum,
Orbis perpetuus primâ de Sede Magiſter.
Haec canit Arcadicâ Tybris plaudente coronâ.
Mel. *Plaudite, Pierides, date carmina, promite laudes,*
Paſtorem noſtris ſervabunt Numina ſilvis.
Fallor? an alma Salus Idaei e vertice montis
Dictamnum, manibuſque gerens medicamina vitae,
En adſum, clamat? non fallor: promptior omni
Spe properat noſtrâ, et votis velocior adſtat
Pulchra Salus, Latii finem impoſitura labori.
Verſantem cernit mortis prope limina ſummum

Ega-

Eganum, et illacrymat: vitales elicit hauſtus
Tum propere, ſpargenſque novum per membra vigorem,
Eripit illius Parcarum e forcipe vitam.
Soſpes io! fatur feſto tum carmine, ſoſpes,
Qui Latium regit imperio; qui moribus ornat,
Diviniſque implet totum virtutibus Orbem.
Per me ſoſpes, io vivat, valeatque beatus
Eganus: ipſa olli faciam ſine nube ſerenos
Ire dies, annoſque, et luſtra, et ſaecla; diuque
Virtutem ipſa addam, ut maneant in corpore vires,
Dira Quirinali et procul exulet omnis ab aulâ
Morborum ingluvies; auſis ingentibus illum
Dî ſervant, nec vana fides; mihi credite, magnus
Eganus Euboici tranſcedent pulveris annos,
Et Phrygiam vivet felix, vincetque ſenectam.
Vos, Superi, teſtes, vos conſcia Numina Coeli;
Haec ait, et fremit Arcadicum nemus omne tumultu.
Daſ. *Sat, Meliboee, tuis tacitae ſiluere volucres*
Cantibus, omnis ager ſiluit: nos ibimus, ambo
Dicemus carmen conceptum mente, benigne
Eganus excipiet; ſuus hic mos: ibimus ambo,
Illius ante pedes forſan majora canemus.

ECLOGA VI.

* EUTHYMIUS.

QUid ſibi vult lauro ſuſpenſa haec Regis imago?
Quid ſibi ſilvarum murmur? quid murmur aquarum,
Quae modo diſſiliunt vario modulamine, et inter
Colludunt niveo ſtructos de pumice fontes?
Quid vos aſpicio per roſcida prata jacentes,
Arcades, et patulâ fagi ſub fronde paratos
Et calamos inflare leves, et dicere verſus?
Nonne decent potius praecelſa palatia Reges,
Magnatumque chori, veſtis quos aurea circum
Splendeat, et vario per totum intexta colore,
Quam nemorum latebrae, atque habitata mapalia egenis,
Paſtorumque chorus, ſilveſtrûm et turba Colonûm?
An forte his redeunt campis Saturnia Regna,
Queis Reges olim, Regum queis inclyta proles
Et geſtare pedum, paſtorum more, ſolebat,
Et curare greges, ad paſcua ducere, oveſque
Vel leni tondere manu, aut lac ducere preſſis
Uberibus: teneros moderans ut molliter agnos
Subjectis late populis dare jura, benigno
Diſceret imperio, regnique docerier artes?
Quid ſibi vult, quaeſo, novus hic rerum ordo? recens ne,
Dicite, Maenalius Numen ſors optima ſilvis
Attulit, atque olli ſacri praebentur honores?
Quid loquor, ah demens! vel quae mihi ſomnia fingo?
Jam vultus noſco, majeſtatemque, decuſque.
Ipſe eſt Euthymius, claro qui ſanguine cretus

He-

* Habita Romae, quum Stanislai I. Poloniae Regis, Lotharingiae, ac. Barri Ducis inter Arcades Accl. Euthymii Aliphiraei effigies in publico Arcadum coetu erigeretur.

Heroum, quos fama tubis crepitantibus effert,
Et quà Sol vitreis radians conſurgit ab undis,
Et quà Sol tremulas rutilans ſe mergit in undas.
His tamen Euthymius virtute, animoque ſecundus
Dicier haud patitur; tanti nam nominis haeres
Egregias laudes, ac cetera geſta, priorum
Ornamenta Patrum ſimul hic complectitur unus.
Scilicet excelsâ regnandi praeditus arte,
Non tam ſubjectos populos moderarier, atque
Omnibus hos cumulare bonis, omneſque fovere
Praeſidioque, manuque viros, quos conſpicit arte
Quâlibet egregios, homineſque arcere doloſos
Finibus, inſidias populo, Fideique ſtruentes,
Quam ſummi mentem ſubmittere Numinis alto
Sueverit imperio, ſenſuſque domare rebelles,
Omnibus, auguſto morum candore, renidens;
Cunctiſque immotus fortunae caſibus, aeque
Adſpicere haud infractâ adverſa, et proſpera mente
Fata, intus placidam ſervans in pectore pacem.
Bis etenim ad ſolium meritis adſcendit onuſtus
Sarmatiae, quo illum populorum vota petebant,
Bis etiam regni ſceptrum, et diadema reliquit,
Semper idem ſervans invicto in pectore robur,
Contentus meruiſſe decus regale, animumque
Imperio dignum, donis ſervare refertum
Palladis, et plenum Martis virtute; vocetur
Ut merito inſignis, dextrâ ſi ſtrinxerit enſem,
Strinxerit aut calamum ſcripturus grata Minervae;
Non ſecus ac veteres, qui tot poſt ſaecula terris
Heroës memorantur adhuc Trojanus, uterque
Scipio, Alexander, culti fulmenque Pericles
Eloquii, eloquioque potens inſignis, et armis
Caeſar, Ariſtides, Fabius, Cato, Cyrus, et ipſe

Pom-

Pompejus, Patriaeque pater, columenque Camillus.
Euthymius tanto cum ſit ſplendore coruſcans,
Et merito ſummis Heroibus aequiparandus,
Arcadiam noſtram tali dignatur honore,
Paſtores velit ut numerarier Arcadas inter,
Et nomen geſtare novum, atque inſignia ferre
Arcadici coetus, noſtraſque inviſere ſilvas.
O decus Arcadiae, tanto quae Rege decora
Omnibus ingenti Famâ clareſcet in oris!
Arcades, ergo agite, et mecum nunc fundite ovantes
Gaudia, o ingeminate jocos, laetoſque per agros
Ingeminate choros, et amantes carmina plauſus,
Undique ut Arcadiae plauſu longe aſſonet aether.
Ipſe ego (namque animo ſubitus calor incidit, et jam
Phoebus Apollineâ replevit pectora flammâ)
Ad numeros circum ſaltat cum ruſtica pubes,
Euthymii teneris cum paſſim nomina fagis
Inſcribit, violaſque, roſaſque, et lilia ſpargens,
Carmina divino cantabo percitus oeſtro,
Carmina, quae noſtri teſtentur gaudia coetus.
Arcades, Aoniis gens o cariſſima Muſis,
Plectra juvant, date plectra manu, date frondea ſerta;
Cingite fronde comas, Cyrrhae quam Numen Apollo
Feſtivis adhibere ſolet, clariſque diebus.
Vos tamen interea, o Pindi juga ſacra colentes;
Plaudite, Pierides, date carmina, dicite laudes.
Incolit Euthymius, poſito diademate, ſilvas;
Undique jam tellus laeto ſe gramine veſtit,
Undique et aeternum violis vernantibus halat,
Colludantque leves volucrum concentibus aurae.
Arcades immemores ovium, grex immemor herbae
Euthymium longe attoniti venerantur, et alte
Excelſi ingenii, quae praefert, ſigna ſalutant.

Plau-

Plaudite, Pierides, date carmina, dicite laudes.
En Deus Arcadiae Pan ridenti ore propinquat,
Erectaſque tenens aures, hinc inde merenti
Euthymio manibus, pedibuſque applaudit biſulcis,
Miraturque ſacros auratâ in imagine vultus:
Plaudite Pierides, date carmina, dicite laudes.
En quot capripedes deſcendunt montibus altis,
Cornua jactantes Satyri, nec lucis in auras
Rupibus e mediis metuunt aſſurgere Fauni,
Euthymioque ferunt praeclarae laudis honores.
Plaudite, Pierides, date carmina, dicite laudes.
En hilares properant Dryades, facileſque Napeae,
Et choreas ducunt ſmyrnaea ad plectra, caniſtris
Et patulis geſtant vaccinia, lilia, calthas,
Sertaque flexibili, et vario intertexta corymbo.
Plaudite, Pierides, date carmina, dicite laudes.
En Pater Alphoeus placidis caput extulit undis
Laetus, ut Euthymii nomen, praeclaraque facta
Audiit, et Nymphas jubet antra algoſa, ſinuſque
Linquere, ut Euthymium plauſuque, et carmine dicant.
Plaudite, Pierides, date carmina, dicite laudes.
Spargite flore ſolum, Paſtores, nectite lauros,
Et regale caput viridi circumdate ſerto;
Jamque per Arcadiae campos, ſaltuſque per omnes;
Euthymii nomen reſonet; colleſque ſupini,
Fluminaque, et valles, atque abdita vallibus Echo
Euthymii nomen repetat, dum Phoebus in Orbem
Volvetur, lucemque feret mortalibus aegris.
Plaudite, Pierides, date carmina, dicite laudes.

E C L O G A VII.

*S Y M B O L A

Dorylas, & Daſmon.

Dor. *HAec quid ſigna notant? quid, Daſmon, haec ſibi moeſtis*
Quid ſibi vult moeſtis circumdata floribus urna?
Quid ſibi Paſtores praecincti frondibus atris?
Ah vere, Daſmon, indoctum vulgus agreſtûm
Paſtores, ſua quod commiſcent gaudia luctu!
Daſ. *Haec quid ſigna notent, neſcis? novus incola ſilvae es!*
Scilicet, ut ſolvant extremum pignus amoris,
Junxit amicitiae quos lex, dum vita manebat,
Ultima decrerûnt etiam poſt funera cantu
Arcadicos vitâ functos celebrare Poetas.
Dor. *Nunc memini; formoſus enim mihi dixit Alexis*
Parrhaſii leges, quas paſtor honorat, et hoſpes,
Poſtera manſuras doctis per ſecula chartis.
Daſ. *At ne cede morae; ſat luſimus; o age vitâ*
Alterno functos cantemus carmine Vates.
Quod ſi vis etiam mediis certabimus antris
Carmine: nam plaudent etiam victoribus antra.
Dor. *Non renuo, modo ſi certandum carmine, vires,*
Nec mihi carmen abeſt; mihi nec deeſt fiſtula, cantu
Quâ valeam tecum contendere: non ego, forſan
Ut reris, canere indoctus; mihi ſaepe canenti
Plauſit Hamadryadum chorus, et quoque plauſit agreſtis
Pan Deus Arcadiae, et Satyri plauſere biformes.
Incipito, te pone ſequar, velut anſer olorem
Excipit, aut corvus philomelam, aut rana cicadam.
Daſ. *Parce jocis, Doryla; ſatis eſt tua cognita virtus:*
Quid citharâ, quid voce potes: te Phoebus alumno

Gan-

* Habita Romae An. 1753., cum Symbola formabantur de mortuorum Arcadum.

Gaudet, te vatem ſilvae, fonteſque, lacuſque,
Et nemora, et montes, colleſque, et flumina norunt.
Dor. *Digna cedro licet ipſe canas, ego digna myricis,*
Incipiam tamen, experiar quid poſſit Apollo,
Experiar quid Muſa poteſt, tibi tollere palmam
Si nequeo, ſaltem tecum certaſſe juvabit.
Audebo, tua juſſa ſequor; ſed ne qua ſit iſti,
Vel mihi ſuſpicio meditati carminis, omne
O age tu, Daſmon, da carminis argumentum.
Daſ. *Quos aluit Phoebus dulci Sebethide lymphâ,*
Arcadicos noſtro celebremus carmine vates.
Incipe tu primum, Doryla, nos deinde ſequemur.
Dor. *Tres Aquilas video, igniti quae fulminis inſtar*
Supra hominum tecta, et montes, ſupraque feruntur
Alituum genus, et curſu jam nubila tranant,
Sidera ſuſpiciunt, immotaque lumina Soli
Haerent, haerenteſque negant convertere vultus,
Solis ut accipiant firmis obtutibus ignes:
Iſmenium (1) *notat una, Opicum* (2) *ſed et altera ſignat;*
Lauſilus (3) *hinc ſequitur, gratiſſima nomina Muſis,*
Nomina Palladiis ſtudiis celebranda per Orbem,
Dicite ad inferias, o vates, dicite carmen.
Daſ. *Tres niveos video candenti corpore Cycnos:*
Omnes ingenio, placidis quoque moribus omnes,
Omnes virgineum ſpirantes ore pudorem,
Undique feſtivis implent concentibus auras.
Demulcent colles, demulcent flumina, valleſque,
Alternantque modos, et cantu nubila plaudunt.
Hic notat Urſachium (4), *doctum notat ille Timaſtem* (5),
Tertius Alceſtum (6), *gratiſſima nomina Muſis,*

K *No-*

(1) Illuſtriſſ. ac Reverendiſſ. Angelus de la Noce. (2) Vincentius Gravina. (3) Joannes Baptiſta Vicus. (4) Xaverius Panſutus. (5) Matthaeus Aegyptius. (6) Leonardus de Capua.

Nomina Pieriis ſtudiis celebranda per Orbem.
Ducite ad inferias, o Nymphae, ducite pompam.
Dor. *Adſpice: tres Platani ſurgunt in margine rivi,*
Extenſae ramis, foliiſque; hae mollia velant
Gramina, paſtori praebent umbracula, et agnis;
Aeſtivos flectunt umbris frigentibus aeſtus,
Hybernas flectunt aeſtivo Sole pruinas, (*cum*: (3)
Hae Didacum (1) *ſignant, et Piſandrum* (2) *atque Lariſ-*
Perlege, ſcripta ferunt Paſtorum nomina frondes;
Nomina muneribus ſophiae celebranda per Orbem.
Concine ad inferias, mea tibia, concine verſus.
Daſ. *Adſpice: tres Oleae ſurgunt in vertice collis.*
His liquor emanat, puroque ſimillimus auro eſt:
Paciferis ſpecioſa comis has germina ſtipant;
Flamine non oleas hyberno decutit auſter,
Non oleas urit ſiccis fervoribus aeſtus. (*nem*: (6)
Hae Galatum (4) *ſignant, et Serranum* (5), *atque Laco-*
Perlege, ſcripta ferunt Paſtorum nomina frondes,
Nomina muneribus Phoebi celebranda per Orbem.
Concine ad inferias, mea tibia, concine verſus.
Dor. *Cerne: micat claro magnum jam lumen Olympo.*
En ſe diducunt nubes, fit clarior aether,
Stella facem ducens multâ cum luce refulget,
Plurimaque attonitis pandit miracula terris.
Oſtro fulgentem praeſignat ſtella Timaurum (7).
Dicite, Pierides, Paſtori dicite carmen.
Daſ. *Cerne; micat claro majus jam lumen Olympo.*
O age ne radiis, Dorila, te ſubtrahe primis.
Sol fugat aſtra, rubens jam ſurgit Phoebus ab undis,
Et

(1) Paulus Matthias Doria. (2) Nicolaus Amenta. (3) Franciſcus de Andrea. (4) P. Franciſcus Grimaldi. (5) Vitalis Jordanis. (6) Antonius Caraccius. (7) Vincentius Cardinalis Petra.

Et maria, et terras accenſâ lampade luſtrat.
Theophilum (1) *ſignat Patrem Sol Urbis, et Orbis.*
Dicite... Sed noſtras quis rumor percutit aures?
Cornicis vox dira ſonat, quaſſatque repente
Funeream Libitina facem, mea triſtia novi,
Heu dolor! heu pietas! mea novi fata; recedis
Scilicet, Iſmerides, noſtri pars maxima coetus.
Iſmerides (2), *mea vita olim, cui carmina noſtra,*
Cui placuere ſales; humilis qui carmina vatis
Optimus excepſti vates, mitiſque probaſti.
Parce, precor, Doryla, noſtris ah! parce querelis.
Has noſtri poſcit Sebethi gloria, verae
Poſcit amicitiae pignus; ſed funus acerbum
Longius heu! quondam deflebimus; interruptum
Nunc juvat alternis, moeſtumque reſumere carmen.
Dor. *O mihi ſi liceat manes deſcendere ad imos,*
Orpheus ut potuit ſuperas in luminis auras
Euridicem revocare ſuam; vos, gloria ſilvae,
Arcades, ad vitam lacrymis, precibuſque vocarem.
Daſ. *O mihi ſi liceat nigri petere oſtia Ditis,*
Thracius ut potuit cantu manſueſcere corda
Eumenidum; noſtrae, vos rurſum, gloria ſilvae,
Arcades, ad vitam cantu, votiſque vocarem.
Dor. *O nimium infelix! modo quae mihi ſomnia fingo?*
Arcades, Aoniis gens o gratiſſima Muſis,
Purpureos inter flores, moeſtaſque cupreſſus,
Et tumulum facite, et tumulo conſpergite flores,
Pallentes violas, ferrugineos hyacinthos;
Nectite odoriferas verno de flore corollas,

(1) *Benedictus* XIII. P. O. M.
(2) P. Hannibal Marchiſius e Sacerdotibus Congregationis Neapolitanae S. Philippi Nerii, Vati amiciſſimus.

Digitized by Google

Et procul hinc tumulo hirſutas prohibete capellas,
Molliter ut vatum cineres, atque oſſa quieſcant.
Vos, o Paſtorum Manes, mihi parcite, avenâ
Si gracili veſtras cecini per ſymbola laudes.
Daſ. *O nimium infelix! quae me dementia cepit?*
Arcades, innocuo gens o gratiſſima Phoebo,
Et Cycnos, et thure Aquilas luſtrate Sabaeo,
Et Platanis, veſtramque Oleis avertite falcem,
Sideraque, et Solem feſtivo dicite cantu.
Cycni, Aquilae, Platanique, Oleae, tum Sidera, tum Sol,
Paſtores, quorum deflemus funera, ſignant:
Funera, funereis quae non cantanda querelis.
Vos, o Paſtorum Manes, mihi parcite, plectro
Si tenui veſtrum cecini per ſymbola nomen.

ECLO-

ECLOGA VIII.

*TYCIDAS.

Paſtorum Manes praeſtanti laude decoros,
Qui ſacros olim Arcadiae coluere receſſus,
Atque per Elyſias nunc expatiantur arenas,
Mulcentes auras, et prata virentia cantu,
Arcades, ornato praeſtat modo cingere ſerto,
Et lectis gelidam conſpergere floribus urnam,
Quae tegit oſſa. Legant alii myrtumque, roſaſque,
Et caſiam, violaſque, et candida lilia carpant;
Cumque ſuas nectunt verno de flore coronas,
Plorantes tenui recinant cum murmure laudes
Armontis (1), *reſonent illinc decora alta Amyriſcae*(2),
Munifici hinc magnum reſonat dum nomen Aretis (3):
Aegerii (4) *hic urnam, Philaretis* (5) *et ille ſepulcrum;*
Aeuthemii (6) *hic cineres, animaſque, umbraſque ſalutet,*
Thure pio Aurologi (7) *ſacros pars altera manes,*
Altera pars Meſii (8) *plenâ veneretur acerrâ.*
Certatim repetant multi, celebrentque frequentes
Diothimum (9), *multi Elilacum* (10), *tumuloque futura*
Inſcribant omnes manſurum in ſecula carmen.
Manibus Arcadicis ſolvunt his juſta coronis
Arcades, et ſacro cineri de more parentant.
Ille ego, Parrhaſii Cuſtos quem ſummus ovilis
Juſſit Olympiaco certantem pulvere, vates

Com-

* Habita Romae anno 1753. in V. Ludorum Olympicorum die, quum Extincti Arcades coronis decorabantur. Vates coronam nectit Carolo Majello viro doctiſſimo, ac pientiſſimo.

(1) Alexander Sobieski Poloniae Princeps. (2) Maria Caſimira Poloniae Regina. (3) Joannes V. Luſitaniae Rex. (4) Cardinalis Tarugius. (5) Cardinalis Ferrarius. (6) Card. Sperelli. (7) Card. Cozza. (8) Card. Gotti. (9) Antonius Magliabechi. (10) Franciſcus Valeſius.

Complecti ſimul innumeros, et carmine in uno
Dicere magnanimûm laudes, et facta Virorum:
Ipſe ego ferali vittâ, et Parnaſſide lauro
Tempora ferali cinctus, tenerâque cupreſſu
Per patrias ſilvas, et per deſerta locorum,
Perque meos campos, ſolus per rura vagabor,
Et ſolus nemorum ſeceſſus inter opacos
Arcadiae, longis abſumam fletibus aevum;
Forte meo vel erunt lacrymae medicina dolori.
Ante tamen carpam violas, et lilia, ſacras
Ac cedri frondes, et amoeni fontis ad umbram,
Seu cum florentes ludunt armenta per herbas;
Seu cum ludentes tondent arbuſta capellae,
Conſpicuo meritis, et honoribus omnibus aucto
Egregiam Tycidae texam de flore coronam.
  Ferte mihi violas pueri, innuptaeque puellae.
Signabunt violae cordiſque, animique pudorem;
Nam ſancte vixit Romanâ clarus in aulâ
Doctrinâ, et meritis Sophos, et contemptor honorum,
Sprevit opes, titulos ſprevit, ſua nomina, Regum
Munera nobilium, aurique, argentique talenta
Sprevit, et ingenium, quo non praeſtantius ullum.
  Lilia ferte mihi, pueri, innuptaeque puellae.
Lactea ſignabunt candorem lilia morum;
Nam ſolidae Tycidas fuerat pietatis amuſſis;
Delicium cunctis, et amor, leniſſimus unus
Paſtorum; Tycidas Sebethi gloria, noſtrûm
Dulce decus nemorum Tycidas; non ſpernere ſuetus,
Nec ſperni, facilis paribus, cultorque priorum.
Non ſecli ambitio, non inconſultus agendi
Ardor agit Tycidam, populi non aura, nec illae,
Roma quibus Tycidam celebrabat carmine, laudes.
Judicii vis mira, fidès ſpectata profundis

Con-

Conſiliis, probitas, fato prudentia major,
Puraque ſimplicitas puro de pectore manans,
Virtutumque chorus magnis Heroibus illum
Addidit, et celeri vexit tras aetbera curru.
Fertè mibi cedros, pueri, innupeaeque puellae.
Signabunt cedri frondes, ſtudiiſque ſeverae
Palladis, et plenum ſacris jam pectus Athenis,
Eloquio pollentem, animoque, atque indole magnâ,
Pro Re Romana, pro Religione Paternâ,
Proque aris Chriſti caput objectaſſe periclis;
Digna cedro ſcripſiſſe, cedro quoque digna locutum.
Ite; ſat eſt, ite o pueri, innuptaeque puellae.
Jam Tycidae ſertum capiti formavimus aptum.
O Cedri! o violae! o candida lilia, qualem
Texere ſorte datum veſtro de flore coronam!
O qui Parrhaſium, colis o qui Maenalà, Paſtor,
Quiſquis ades, mibi cede: tuo ſi carmina noſtra
Carmine nunc ſuperas; noſtram nec flore, nec arte,
Quae Tycidae dabitur, poteris ſuperare coronam.

ECLO-

E C L O G A IX.

* L Y C I D A S.

Pauſylipi ad ſcopulos , qualis viduata parente
Nata dolens , canos de more ſoluta capillos ,
Inclyta Parthenope , Siren pulcherrima nuper
Pulſabat dulces querulis ſingultibus auras .
Ut vidit , periit Lycidas ; nam retibus ille
Tum forte , et longâ captabat arundine piſces ,
Delicioſae Mergellinae ad litora , ſuavis
Spirat ubi Zephyrus , rauco et ſine murmure Nereus
Languet , et in toto ſtat mollis inertia ponto .
Sirenem vidit ; terrorque per oſſa cucurrit :
Palluit , haeſit , et immiſcens ſuſpiria verbis ,
Singultuſque trahens imo de pectore : Cur non
Fax oculis , ait , illa tuis jucunda renidet ,
Pectora quâ noſtrum , quâ corda beare ſolebas
Civium ? Ubi eſt tua gratia ? Quis dolor improbus angit ?
Quae te plorantem premit anxia cura ? moleſtum
Caſum fare , ſinu neu condas , inclyta Siren .
O Lycida , Lycida , certe mecum ipſe doleres ,
Illa ait , afflicti ſi ſcires vulnera cordis .
Occubuit Joſeph , Joſeph meus occidit , eheu !
Dulcis amor , ſpes fida , mei clariſſima Regni
Gloria , delicium ; Joſeph . . . ſed plura dediſſet ,
Ni moerens Lycidas , percuſſo pectore palmis ,
Rupibus haec mediis , mediis jactaſſet et undis .
Heu periit , qui Civium amor , Patriaeque voluptas ,
Qui deſiderium ! Vir maximus occidit ! huncne
(Quis mihi det lacrymas ?) Merſerunt funere Parcae ?
Parcae , crudeles Parcae , cur ſtamina Joſeph ,

Sta-

* In funere Joſephi Brunaſſi Ducis S. Philippi .

Stamina digna trabi, aeternos volvique per annos,
Ictum tam cito praecipitante heu! falce ſecaſtis?
Si qua viget pietas veſtris in cordibus, eja
Nymphae, immortales Nymphae, blandaeque ſorores
Najades, et vos Nereidum vaga turba, choruſque,
Dicite, ſi qua latet notis in montibus herba,
Si qua viret ſcopulis, ſeu terris planta remotis,
Quae queat exanimem revocare in luminis auras;
Dicite, quis prohibet? memor hic altaria ponam.
Quid loquor? ah demens! blandis rapit aura ſuſurris
Vota, preceſque meas, et fruſtra ſidera planctu,
Et lacrymis pene innumeris, gemituque fatigo.
Ah! periit Joſeph: illum non herba, nec ulla
Ad vitam rurſus vitalis planta reducet.
Ergo quid ſine te, Joſeph? mors funere perdit
Me quoque dira tuo: noſtrae Tu gloria gentis,
Spes fida, Urbis amor, rebus ſolamen acerbis.
Vidi ego (nulla unquam tollent oblivia noſtris
Ex animis) ego vidi accenſi cordis amorem
In Patriam, Civeſque ſuos, cum tradita cura eſt
Parthenopes, vidi Pietatem, Geſta, Fidemque.
Juris amans aequo librabas pondere lancem,
Jus dans cuique ſuum, clemens, ad praemia velox,
Ad poenas tardus: cui mens praeſaga futuri
Multo et plena die, radiis et praedita mille.
Vidi ego Patrhenopes fatalia damna vetantem;
Et quo tractabas ſtudio, quà mente regebas
Commiſſas gentes, et quo prohibere tuorum
Exitia, et luctus generoſo corde ſtudebas,
Arbiter, ultor, amans, Patriaeque, Urbiſque Patronus
Et ſacras leges, illaeſaque jura tueri,
Complecti patrios Cives, et Civibus ipſis
Pandere ſollicitum ſtudioſi cordis amorem.

Infelix Siren! quid tanto orbata parente,
Quid tanto viduata Viro? haec poſt funera, quid tu
Perditus heu! ſperas Lycidas? Quid denique reſtat,
Poſtquam crudeles Parcae, mors, ſidera, fatum,
Joſephum rapuere? mori tibi denique reſtat.
Eja age, cur remoror? Lycida, moriamur oportet.
Hoc ſi fata vetant, nemora in deſerta recedam,
Antrum in praeruptum, et ſeceſſus inter opacos
Silvarum, in ſilvis traducam ut fletibus aevum.
Umbroſum nemus, et nigranti ex ilice lucum
Plantabo; nemore in medio cerroſque, cupreſſuſque,
Et platanos, tiliaſque ſimul, ſaliceſque, nec ulmus
Deficiet nemori, nec pinus, fraxinus, alni:
Moeſtus ubi, et longis ſingultibus aethera pulſans,
Sidera ſaepe meis implebo, et ſaxa querelis.
Inſcribam truncis Joſephi nomen, Iöſeph
Inſcribam funus, lacrymas Sirenis, et omnes
Nobilium luctus, plebis queruloſque ululatus,
Ut creſcant cordis, trunco creſcente, dolores.
Sed quid ego haec? demens! nemus an medicina dolori eſt?
Non petit iſta dolor: cineres quibus ergo ſupremis
Muneribus decorabo? myrtum, et lilia carpam,
Et caſiam, et violas, et purpureos hyacintos,
Te quoque decerpam, thyme, te ranuncule, voſque o
Narciſſi, et calthae, campi florentis honores,
Illacrymans, circumque Viri cinereſque, ſepulcrumque,
Hos ſpargens flores lacrymoſo murmure dicam:
Salvete auguſti cineres, ſalvete; quotannis
His Lycidas donis tumulum cumulabit amicum.
Haec tum marmoreo inſcribam duo carmina buſto:
Siſte, Viator, iter: caelatâ hac conditur urnâ
Gloria Parthenopes, ſplendor, ſolamen, Iöſeph.

ECLO-

E C L O G A X.

* N O R I C I U S.

LAurus, io! laurus: praecingite tempora lauro,
Arcades: exoritur noſtris lux aurea ſilvis.
En Cyrrhae renovatur honos; en Delphica rupes
Panditur; ecce novem redolentia ſerta Sorores,
Undique conlectis mediis de collibus Hyblae
Floribus, intexunt; citharaeque repertor Apollo
Ingeminat paeana; ſuos ad carmina poſcit
Pan Vates; fremit Arcadicum nemus omne tumultu.
Namque coronatus regali tempora lauro
En Clemens, ſuboles alto de ſanguine Divûm,
Mente potens, animo, et magnis virtutibus Heros
Ingreditur ſoſpes Nonacria rura; choroſque
Inter Paſtorum patitur numerarier, atque
Noricius poſthac gaudebit dicier; eja
Turba frequens Vatum; Paſtorum turba frequentûm,
Promerito veſtrum cognoſcite Numen honore,
Sternite humum violis, atque undique ſpargite flores,
Noricii ingeminent omnes memorabile nomen.
Vos o ſaltantes per florida rura Napeae,
Vos nemorum Nymphae redimitae flore capillos,
Excipite Heroa, et manibus per mutua nexis,
O agite, et blandis medium luſtrate choreis.
Cingite nunc Vatem phoebaeae frondis honore,
Noriciumque omnes laeto clamore ſalutent.
Undique, et Arcadiae ſaltus, ripaeque, lacuſque,
Flumina, convalles, longe et reſonabilis Echo,
Noricii circum reſponſet amabile nomen.

* Habita Romae in Arcadum Coetu, dum Clemens Franciſcus utriuſque Bavariae Dux Noricii Aratuſaei nomine inter Arcades acclamaretur.

O ſalve, Arcadicis merito decus addite faſtis:
Accipe, quod Phoebus tibi plectrum tradit eburnum;
Et cane, quae Iſacidum quondam vitavit in aulâ
Funera progenies Jonathas invicta Saulis,
Dum populi votis retulit pro morte triumphum.
Te recinente, ſacro perculſi carmine montes
Gaudia teſtati ſaxoſa cacumina curvant,
Exultant agri plauſu, valleſque profundae,
Blandiri incipiunt feſtivo murmure fontes,
Jucundo volucres cantu geſtire per auras,
Verticibus ſummis durae ſe flectere cedri,
Fagi etiam, quercus, caput et motare cupreſſi,
Et ſtupefacta ſuos compeſcere flumina curſus:
Te recinente, novo quoque Titan concitus oeſtro
Alatos medio cogit ſubſiſtere Coelo
Laetus equos: per prata boves, per rura capellae,
Atque agni tenero mites ſub gramine ludunt.
Ipſi Paſtores, ſilveſtria Numina, Panes,
Et Fauni agreſtes, et montivagi Silvani,
Et Satyri inſuetis redimiti cornua ſertis,
Auribus intenti accipiunt tua carmina plauſu.
Arcadia, o felix Heroum mater, et altrix!
O ſemper tibi fauſta dies, ſemperque colenda!
Noricii o noſtris ſemper memorabile ſilvis,
Noricii nobis o ſemper amabile nomen!

Digitized by Google

DECAS TERTIA
CARMINUM, ET EPISTOLARUM
DASMONIS ANDRIACI
P. A.

Digitized by Google

Digitized by Google

CARMEN I.

*AUGUSTINUS.

Ad Excell. Dominum Carolum de Marco a ſecretis Juſtitiae, et Gratiae, nec non rei Eccleſiaſticae

FERDINANDI IV.

FELICISSIMI SICILIAE UTRIUSQUE REGIS.

Sacra cano: redimite ſacrâ mihi tempora lauro
Paſtores: noſtris illuxit ſaepe vocatus
Ominibus, votiſque dies: Dicemus ovantes
Carmine, quos Magnus tulit Auguſtinus honores,
Aeternis laudeſque ſuas aequabimus aſtris.
At Tu, cui claris titulis, et honoribus aucto
Sancta Themis, leniſque adeo Clementia, et ipſa
Religio ſecura ſibi, Te vindice, plaudunt;
CAROLE, poſcenti ô adſis, cantuque vocatus,
Eripe te paullum curis, quas pectore verſas
Magnanimo, et ſacros ne dedignare receſſus
Pauperis Arcadiae, mecumque inviſere ſilvas
Ne pigeat: Silvas habitaſſe Heroas et ipſos
Novimus: ipſa etiam placuere Heroibus antra:
Non ignota tibi canimus, mentemque ſeveris
Artibus, et ſacrâ fecundam Pallade, Muſis
Fas etiam patuiſſe meis: et maxima quamvis
Munera diſtineant animum, mentemque fatigent,
Sive Aequi cum jura foves, ſanctumque tenorem

Ju-

* Habitum Neap. An. 1756. in Arcadum Coetu Coloniae Alethinae.

Digitized by Google

Juſtitiae regis haud ullâ placabilis arte,
Ardua ſeu rurſus, divinaque munera tractans
Relligionis ades vindex, cuſtoſque ſeverus:
O adſis tamen, et vires, animumque canenti
Suppete; dum magno clarus, ſacroque triumpho,
Et tibi vel primis multum Auguſtinus in annis
Lectus, et extremum nec dum dimiſſa ſub aevum
Pagina, quâ ſummi reſerat penetralia Olympi:
Arcadiis, veniente die, celebrabitur oris.
Jamque animus duce Te promiſſum ingentibus auſis
Urget opus, lauro ſertum praetexite vati
Arcades: haud levibus ſuperantes aethera pinnis,
Non me Aquilae vincent, non ipſi carmine olores,
Et non altiſoni me vincet muſa Maronis,
Nec tuba grandiloqui modo me ſuperabit Homeri.
Arcades, incipiam, magnam mihi mentem, animumque
Spiritus aethereâ lapſus de ſede miniſtrat.
Ite procul vatum figmenta incondita, voſque o
Dîque, Deaeque omnes, et ludicra Numina Cyrrhae,
Relliquiae veterum informes; quae Graecia finxit,
Atque ſuperſtitio ſtygiis emerſa tenebris
Jampridem coluit: procul o, procul eſte profani;
Huc aditus dumtaxat iis, quos vera ſecutos
Alma Fides fovit, verum queis noſcere Numen
Illa dedit, turbam falſorum exſoſa Deorum.
Relligio, quae creta Deo, quae ſanguine divûm
Irrorata virûm, qui quondam funere ſpreto
Mille tubis terras Chriſtum ſonuere per omnes;
Et qui pro ſacris paſſi graviora, Neronem,
Ac Decium, et reliquos non expavere Tyrannos:
O quae prodigiis ſemper coeleſtibus aucta
Per gladios, per ſaxa, per et fera tela, per hoſtes,
Perque enſes lictorum, avidarumque ora ferarum,

Per-

Perque atrox genus omne necis, felicia regni
Cepiſti incrementa, tuas victricia donec
Conſtantinus ovans, ſpoliiſque oneratus opimis,
Atque caput ſacrae foliis praecinctus olivae,
Chriſtiadûm vexilla tulit devotus ad aras,
Et longum armatas odia in crudelia gentes
Pacavit, pacemque tibi poſt longa reduxit
Exſilia, et pactae firmavit foedera pacis:
O modo, quae retegens auguſtae frontis honores,
Protendis mare per vaſtum, per inhoſpita regna
Imperium, et populis victrix das jura per orbem,
Queis conlectae omnes utroque ab litore gentes
Miteſcunt animis, et verum Numen adorant:
Nunc age, feſtivâ cinctum caput exſere lauro,
Macte novâ virtute, et ſi quid deinde meremur,
Huc oculos inflecte tuos, huc lumina verte,
Tolle animos, et te dignos modo concipe faſtus,
Atque novis veteres precor, o, poſtpone triumphos:
Sub pedibus quae monſtra vides ſata nocte profundâ,
Tartareae peſtes, imo ex Acheronte profectae
Nequicquam caput adtollent: en inclyta monſtrum
Neſcio quid claro tibi parturit Africa majus
Hannibale: huc ades, o felix, en maximus ultor
Errorum, Veri vindex, Fideique patronus,
Ac tot Romulidûm princeps ex ordine Patrum
Auguſtinus adeſt. Manibus da lilia plenis,
Purpureas et ſparge roſas, violaſque nitentes,
Munere et hoc ſaltem Auguſtini nomen adora.
Hoc duce, tu Lybiae monſtrum proſternis Arium;
Hoc duce, Donati convellis ſchiſmata, divas
Qui Latii leges, primaevaque ſacra peroſus,
Inque novos abiit ritus, cultuſque profanos,
Atque animum furiis, odiiſque immanibus actus

Divinas multis violavit caedibus aras.
Hoc duce, vana teris Scythici commenta Manetis;
Hoc duce, fulmineis Veri ſtrato undique telis
Hoſte, triumphatrix exſultat Gratia Chriſti;
Atque celebrato plaudens feſtiva triumpho,
Tartarei quondam ſatiatum felle Draconis,
Qui ſparſit virus, colubrum teris ipſa Britannum.
Hoc duce, tu reliquos divini nominis hoſtes
Auctores ſubigis ſcelerum, errorumque magiſtros;
Haereſeos quot vana tulit figmenta vetuſtas,
Poſt mille annorum curſus, poſt ſecula mille
Quot pariet volvenda dies portenta ſceleſtûm
Ficta Novatorum in Superos, Fideique ruinam
Eloquio ſternes victore; doloſque protervis
Quos populis nectet virtutis imagine, fucum
Objiciens morum adſperitate, et dogmate pravo
Effraenis Novitas, Vero domitore, reſolves:
Hoc duce ſtant leges, ſtant et ſacra omnia, et arae,
Stat Chriſti imperium, pax, et concordia, virtus,
Quaeque olim terrâ extorris deceſſit Eoâ,
Stat pietas, Superis, ſemperque acceptus Olympo
Virgineus candor, pudibundaque Mater honeſti,
Statque triumphali placidiſſima Gratia vultu.
Cetera quid memorem? ut, Sole exoriente, recedunt
Undique nigrantes atrâ caligine nubes,
Diffugiunt tenebrae, et quae ardebant aemula flammis
Sidera per rutilum late ſplendentia Coelum,
Mox confuſa latent: Sol occupat omnia circum
Luce ſuâ rutilans, Sol aureus omne ſerenat,
Sol unus regnat coelo, claruſque per omnes
Terraſque, tractuſque poli ſua lumina fundit:
Sidera mirantur Solem, Dominumque ſalutant,
Immenſumque ſuo de cardine ſidus adorant:

Haud

Haud aliter Veri exorto jam Sole, nigrantes
Incipiunt ſubito errorum evaneſcere nubes,
Claraque, diſpulerant olim quae ſidera noctem
Haereſeos, magno viſo jam Sole, recedunt,
Undique et inſolito Solem clamore ſalutant,
Et meritis clarum Auguſtini nomen adorant.
Salve ô, Chriſtiadûm lux admiranda Sophorum,
Orbis amor, Fidei decus immortale Latinae,
Sancte Dei interpres, quo nil ſapientius aetas
Priſca tulit, neque ſuſpiciet ventura futurum.
Tu calami errorum configis acumine monſtra;
Erumpat ſuperas ne rurſus lucis in auras
Haereſis, et ſtygiis quae portentoſa cavernis
Impietas ſurgit, ſcelerum mala ſemina ſpargat.
Tuque tuis libris Veri penetralia pandis,
Ne veteres Patrum ritus, et ſacra Quiritûm,
Vel caries valeat, vel edax abolere vetuſtas;
Concidat et ne virtutum ſeges optima, quae nunc
Floret, et aeternum Chriſti florebit in agris.
Per Te Romulidûm illuſtrantur tradita Patrum,
Per Te diva Fides reſplendet honoribus aucta,
Per Te ſublimis Triados ſecreta pateſcunt.
Dictatos adflante Deo producere libros,
Legitimi normam cultus monſtrare, diuque
Promiſſi Mundo myſteria pandere Chriſti,
Per Te Relligio poterit; ſua numine fauſto
Omnia per Te firmabit decreta, ſuoſque
Per Te conſtituet ritus, altaria, templa,
Sanctaque defendet pietatis jura Latinae.
O quem te memorem, Sol Sole nitentior Orbi,
Relligionis honos, praeſtans hominumque Magiſter?
O quas, Dive, tibi magnis tot pro bene factis
Pro re Romanâ, pro Relligione Parentum,

Quas meritas toto referemus pectore grates?
Ecce tuis ſervit late jam fama triumphis ,
Ecce tuum nomen ſonat undique , et undique late ,
Docta per ora virûm Auguſtini nomen ad aſtra
Tollitur , atque Orbem celebrato nomine complet .
Nos quoque , magne Parens ſublimi e ſede triumphans ,
Reſpicis unde Deum plenus jam lumine divûm ,
Adſpice nos : tibi vota pii , tibi ſacra litamus .
Ecce tuas canimus devoto pectore palmas ,
Eximias palmas , immortaleſque triumphos ;
Ecce tuos laudum meritos celebramus honores ,
Effuſi ante aras libamus ſacra , cremamus
Thura Sabaea focis , et ſpargimus undique flores .
O age , ſi ſuperant noſtras tua munera vires ,
Dive Parens , ſaltem vota haec , has accipe grates ,
Quas humiles agimus : vultu et dignare benigno ,
Paſtor Alethinis cecinit quae carmina Silvis .

CARMEN II.

* LAMENTATIO VIRGINIS.

Unde repentinus Naturae diſſilit horror ?
Quae mala funeſto turbant elementa tumultu ?
Jam tremefacta ſolo tellus, avulſaque ſaxis
Saxa ruunt, tremulae panduntur viſcera terrae,
Incipiunt manes imis exire ſepulcris;
Inſolitis ſimulacra modis extrema minantur;
Diſciſſo adparent Templi penetralia velo;
Nox medium rapit axe diem, lugubria Phoebus
Induit, attonitis nocturna ſilentia terris
Indicit, trepidumque diem ſub nocte recondit.
Pallida communi neu Luna ſit orba dolore,
Continuo verſis relegens veſtigia bigis,
Se jungit fratri, atque umbris involvit opacis
Tellurem. Heu tenebris nigreſcunt omnia circum!
Signa Dei noſco morientis, ſigna doloris,
Quo turbata omnis rerum Natura, Parentis,
Rectoriſque ſui certat deflere ſupremum
Exitium. Praecinge caput, mea Muſa, cupreſſu,
Et ferrugineo vultum ſquallore retecta,
Sciſſa manu ſparſos per eburnea colla capillos,
Et moeſtis gemebunda modis, per tela, per hoſtes,
Perque renidentes divino ſanguine calles,
I, perge illacrymans ſublimem ad Golgotha, foedo,
Golgotha, qui ſquallet tabo, quique oſſibus albet.
Iſto Monte ſuper, patrio non more, Quiritûm
Sed ritu, pendens ferali ex arbore Chriſtus,

Su-

* Habitum Romae in Academia Infecundorum pro Virginis Mariae Doloribus.

Sublime erigitur, gentes moriturus ut omnes
Undique reſpiciens, fundat cum ſanguine vitam,
Sanguine, quo totus culpis purgabitur orbis.
Fallor? an ante Crucem Mater moeſtiſſima Nati
Vulneraque, et poenas omnes, ſeriemque dolorum,
Indignumque obitum, et ludibria ſaeva tuetur?
Non fallor; geminos inter pendere latrones
En medium ſpectas Natum, ſummoſque cientem
Pectore ſingultus, totum fremere undique montem
Audit clamantûm diris, et acerba furentûm
Diva Parens; non ſciſſa comas, non pectora palmis
Percutiens, reſonaſque implens plangoribus auras
Ante Crucem adſtat; ſed cum majeſtate Virago,
Exſuperans animi, tormentis major, acerba
Intus alit ſacrum lanianti a vulnera pectus.
Proh quam dira modum ſuperant tormenta! fidemque
Proh quam ſe attollant longe ſuper! omnia vincunt
Aſpera, quae tellus unquam conterrita vidit.
Nam velut undiſono maris exundantis in aeſtu,
Undique nimboſo ſtridens Aquilone procella
Funditus inſano turbat freta verſa tumultu;
Aequora jam ſurgunt, nunc Coelum aequare videntur
Fluctibus, et nigras aſpergine tangere nubes,
Ventorum furiis nunc exagitata dehiſcunt,
Tartara et ima adeunt; mox unda repercutit undam.
Fluctuque obruitur fluctus; furit aeſtus arenis:
Haud aliter divus Cruce cum Servator ab altâ
Pro totâ pendet communis victima gente,
Virginis in pectus ruit omnis turba malorum.
Saevit amor, ſaevitque dolor, ſeſeque viciſſim
Luctantes feriunt, nunc hinc, nunc matris et illinc
Eruere inter ſe certant, perque omnia verſant,
In partes rapiunt varias, curiſque fatigant

Cor

Cor multis fractum, tortâ ceu cuſpide, poenis.
Adſpicit heu! ſparſum divino ſanguine vultum;
Aligerûm quem turba cupit, geſtitque videre;
Adſpicit ora, genas, et lumina cincta cruore,
Lumina, quae Coelum obtutu, terraſque ſerenant.
Adſpicit intextis circumdata tempora ſpinis,
Tempora ſidereâ praecingi digna coronâ.
Immiti luſtrat terebratum cuſpide pectus
Multiplici, et ſentit figi ſua vulnere corda.
Exclamat Chriſtus: Sitio: ſitit ecce dolentem
Solari afflictum mater moeſtiſſima Natum.
Heu! quid agat Virgo? quae prima exordia ſumat,
Ut cordis tormenta levet, Natique labores?
Haeret odoratae dans oſcula plurima Cedro;
Ter conata pedes laſſis amplectier ulnis,
Ter dolor exanimem retrahit de ſtipite Matrem.
Ter conata imo depromere pectore voces,
Ter quoque compreſſis vox obruta faucibus haeſit.
Pene adeo jam victa animi; quo lumina vertat?
Neſcia, quid tentet. Chriſtum modo moeſta tuetur
Luminibus tacitis; modo facta e matre Sacerdos,
Extollens oculos Coelo, fortiſſima prolem
Immolat ipſa Deo; modo tecta Sionis acerbo
Conſpicit obtutu, abrumpens conamine vocem
Luctu interceptam, tandem ſic ore profatur:
O Solyme, o Solyme, ingratos imitata Parentes,
Haeccine nunc expers animi, ſenſuſque rependis
Regique, auctorique tuo? Nonne ipſe paternis
Te ſibi foederibus junxit, propriamque ſacravit?
Quid ſceleri ſcelus adglomeras? quid funere mergis
Sanguinolenta Deum? Deus hic, Deus ille, potenter
Qui Peluſiacâ incolumem tellure reduxit
Degenerem Iſacidum Sobolem. Hic tua ſceptra, tuumque

Fir-

Firmavit Regnum. Hic reliquis magis omnibus unam
Te antetulit, ſedemque tuâ ſibi fixit in arce..
Antiquos memorare dies, et ſecla revolve;
Iſte fame preſſos dapibus ſaturavit inemtis,
Reddidit infirmis vires, et lumina caecis,
Et vitâ functos lucis revocavit in auras.
Tu tamen intentas mortem illi, peſſima, quamvis
Te veniente die, te decedente doceret.
O Solyme, o Solyme, eccur non oracula Vatum
Credita priſcorum, non tot miracula, et expers
Criminis ingenium, non tè caſtiſſima vitae
Integritas, ſummi non Coelo audita Parentis
Vox Natum teſtata ſuum, potuere procervum
Inflexiſſe animum? divini impenſa favoris
Argumenta, Crucem tibi tot benefacta merebant?
O Solyme, o Solyme, horrendum te, et triſte manebit
Exitium, votiſque Deum venerabere ſeris.
Inſtat ſumma dies, et ineluctabile tempus,
Quo templum hoc immane, ingens a culmine celſo
Corruet, et victor dominabitur hoſtis in urbe.
En Deus incurrit judex metuendus in hoſtes
Sacrilegis ſcelerum poenas, cladeſque rependit,
Fulgureis acuit flammis jam turbidus enſem,
Spicula jam torquet largum bibitura cruorem,
Conſumitque avido confoſſa cadavera ferro,
Et Procerum celſas frontes diademate nudans,
Indecores radit captivo vertice crines.
Hei mihi! proh quantae ſtrages! quot funera paſſim
Concurrunt! urbem, quae inter caput inclyta multas
Tollebat, propriae lapſam involvêre ruinae,
Atque inſtar vilis tugurî, quod vimine lento
Contegit aeſtivas fruges, jacet obvia praedae.
Jordanem heu! rubro ſpumantem ſanguine cerno,

Et

Digitized by Google

Et late campos Judaeorum oſſibus albos.
O Solyme, o quae multaſti crudeliter omnes
Erſe oratores divino numine miſſos,
Cur perimis Regem? cur funere mergis in uno
Et Matrem, et Natum tot fata inhoneſta ferentem?
O Fili! o mea Spes! Genitricis dulce levamen,
Hunc Te, pars animae, adſpicio? Tune ille laborum,
Solamenque mali? ah! quantum diverſus ab illo,
Coelicolas viſu qui ſuccendebat amore,
Nate, meum columen, noſtrorum Nate dolorum
Cauſſa, jaces! quae dextra, eheu! ſcelerata nitentes
Diſcerpſit crines, rubroque fluentia rivo
Membra ferox vellit, fulgentiaque abſcidit ora?
Dic mihi, quae vultus modo dextra inimica beatos
Foedavit, duro cingens diadèmate frontem?
Vos o, ſiderei quotquot ſuper ardua coeli
Ducitis immortale aevum, ſedeſque beatas
Incolitis ſuperi, Dominum cognoſcite veſtrum,
Qui mare, qui terras, qui numine fulgida torquet
Sidera, quem metuunt fera tartara, quem colit orans
Supplicibus clara aethra aſtris, trepidantque minantem,
Mille inter ſpinas, mille inter acerba gementem
Vulnera, mille ictus, crudelia damna ferentem.
Adſpicite ut duris tumeant laniata flagellis
Membra, cruentatiſque patentia tempora ſertis:
En mors jam propior pectus perſtringit anhelum,
Et madet inſolito vultus ſudore rubente:
Jamque genae pallent, cervix collapſa recumbit,
Inque humeros cadit, et guttur ſitis anxia torquet;
Fellis, acetique humectantur labra liquore.
O ſuperi, ſi veſtra dolor praecordia tangit,
Ferte citi tandem aerumnis ſolamina tantis
Debita, nigranti conſperſum pulvere vultum;
Sanguine et effuſo fluitantia tergite membra.

N Fer-

Ferte undas, precor, o, dulcique arentia rivo
Ora, et inexpletas lymphis compeſcite fauces.
Tantum Adae potuit ſcelus? id divina repoſcit
Majeſtas violata, et ſpreti Numinis irae?
Id pietas tua, Chriſte? tui id meruere labores
De Mundo? O placido caram cum lumine prolem
Adſpice, ſumme Parens, jamjam lethi ingruit horror;
Undique fuſus abit cruor, exanguemque relinquit.
Perfodere manus, plantis fixere cruenta
Spicula, diſtentique patent jam corporis oſſa,
Nulla hominis reſtat facies; age, reſpice Natum,
O Deus; et noſtris ſi unquam mortalia poenis
Crimina, et antiquae ſi nunc veſtigia culpae
Sanguine ſunt delenda, in me nunc omnia tela
Dirige, promeritos in me converte furores,
Et me fige Cruci, ſi qua eſt pietas tibi, Nato
Parce tuo; nuus hic in te committere tantum
Quid potuit, tantas ut ſolvat ſanguine poenas?
Me me (quae genui en adſum) in me vertite ferrum.
Quid prohibet, ſuperûm Genitor? nihil ille nec auſus,
Nec potuit; tantum reus eſt hoc crimine Jeſus,
Quod mortale genus nimio dilexit amore.
O Amor, o Fili! Spes o mea dulcis, et omne
Delicium Matris; Fili... Vox gutture preſſa
Reſtitit, ingentique animam transfixa dolore
Moeſta ſuper dulcem ſeſe projecit Ièſum
Pallida, ceu moriens tenerâ ab radice revulſa
Langueſcit viola, aut duro molles hyacinthi
Percuſſi ferro, cultos cum forte per agros
Fudit falce metens viridantes ruſticus herbas.
O dolor! o Genitrix! quid non moeſtiſſima cogis
Pectora, prolis amor? fando quis cetera verbis
Explicet? aut poſſit tot damna aequare canendo?

CAR-

C A R M E N III.

* A L N A N U S.

MAgnum opus adgredior. Quis nunc mihi praeſtet Apellis,
Praxiteliſve manus? mihi quis ſublime miniſtret
Parrhaſii ingenium, vel miram Zeuxidis artem,
Quâ valeam pictis (1) *Alnanum effingere telis,*
Vel poſſim Cedri aeternis inſculpere truncis?
Hoc tamen hi peragant, qui rerum externa ſequuti,
Contenti vultus formâ, frontiſque decore,
Pingere non animi dotes, non inclyta curant
Geſta, per aetates ſemper celebranda futuras.
Majus opus moveo; te, Daedale, poſcimus artem,
Tu mihi nunc vires, tu quae facienda doceto,
Donec manſurum ventura in ſecula ſummo
Alnano dignum videam conſurgere Templum
Ingens, auguſtum, immenſum, quod deinde quotannis
Arcades inviſant, habeantque in honore Quirites.
Vos autem, quibus Alnani modo gloria cordi,
Et quos illius laudum quoque cura remordet,
Arcadici nemoris mediâ quâ parte vetuſtis
Arboribus denſa, annoſis quâ frondibus atra
Silva riget, ſpiſſis circumdata ſentibus, horror
Praebet ubi gelidas, ſummotis ſolibus, umbras;
Eja agite, unâ omnes ferro, rigidâve bipenni
Et platanos mecum, et tilias, quercumque virentem
Caedite, et immixtas corylis fruticantibus ornos:
Expediendus erit truncis, atque arbore campus;

* Habitum Romae in Arcadum Coetu Anno 1753. primo ludorum Olympicorum die; quo die illuſtrium Arcadum effigies formandae jaculorum ludo ſubſtitutae fuerant.

(1) CLEMENS XI. Pont. Max.

Digitized by Google

Area magnifico pateat largiſſima Templo .
Cumque ingens ſurget moles , aequandaque Coelo
Machina , ter magnâ clamantes voce , Sodales ,
Plaudite io ! Alnano , laetum paeana canentes .
En opus incipio . Centum ſublime columnis
Conſurgat Templum . Vaſto molimine primum
Atria porticibus ſurgant extenta ſub amplis ,
Atria in auguſti ſpeciem formata Theatri .
Veſtibulum ante ipſum , Lybico de marmore , ponam
Arte pari , paribus ſpatiis diſtincta , ſitaque
Quattuor hinc , atque inde Virûm ſimulacra , vetuſto
Sanguine qui geniti replent virtutibus Orbem .
Una Poliarchum (1) *demonſtret , et una Cryſalgum* (2)
(Quam cara Arcadiae ! quam grandia nomina terris !)
Effigies , ſignetque tuos haec tertia vultus ,
O magne ingenio , major ſed moribus , ipſis
Dilecte o Muſis , vera o Clementis imago ,
Alcindi ; (3) *ferat os , habitumque tui altera fratris*
Timocratis (4) *, qui laudis iter , praeſtantibus auſis ,*
Exſuperanſque animo calcat ſtudioſus honoris .
Aſt aditus volitantem excelſo in fornice Famam ,
Inſtantemque tubas ſtatuam , quae marmore ſculptum
Indicet aeternis carmen memorabile ſeclis ,
Quod legat extremo veniens Oriente Viator :
Hos Patruo ſimiles , Albano ſanguine cretos ,
Egregios virtute viros venerare , viator :
Alnanum ſi forte cupis cognoſcere ; plenâ
Sparge manu flores , atque oſtia ſacra ſubito .
Atria ſunt Templi ſed jam perfecta ; Sodales ,

Plau-

(1) Hannibal Card. Albanus. (2) Alexander Card. Albanus.
(3) Joannes Franciſcus Card. Albanus. (4) Carolus Albani utriuſque Sign. Referen. et Praelatus domeſticus.

Plaudite io! Alnano, laetum paeana canentes.

Ante fores Templi auratis in veſtibus adſtat
Gloria, quae Templi ſtridenti cardine poſtes
Inductura illuc aperit, quas Fama remotis
Convocat e terris venientes undique gentes.
En ego veſtibulum ingredior: procul eſte profani.
Conſtituam laevâ puro de marmore ſignum,
Quod te cunctarum victrix, Patientia, rerum
Praefert. Tu damnata pati fata aſpera virtus,
Stas Coelo converſa oculos, animumque ſuperno
Regi hominum, Divûmque Deo; tranquilla moleſtos
Stas inter medios, pacatâ mente, tumultus.
Quam bene te coluit! duce te quoque novit et omne
Alnanus patiens operum, patienſque laborum,
Ferre malum, fera damna pati, patienter et altum
Adverſis animum durare ad grandia rebus;
Quum duro Europam vidit ſub faſce gementem,
Italiam, Latiumque, ipſam Mavortis et urbem;
Auſpiciiſque tuis Alnanus publica fovit
Commoda, reſtituit ſacris decora inclyta Templis,
Et ſua virtuti largitus praemia, Muſis
Otia reſtituit; miſeris, illoque ſequeſtro,
Pax data terrigenis poſt triſtia damna. Sodales,
Plaudite io! Alnano, laetum paeana canentes.

Marmoreum dextrâ inſtituam ſpectabile ſignum
Juſtitiae. Alatis humeris, unoque ſuperba
En oculo frontem extollit, quo ſcilicet illa
Magna animo, et conſtans, vultu imperterrita forti,
Omnia recta tuens, nil uſquam lumine cernit
Obliquo. En tollit nudatum fortiter enſem
In poenam ſcelerum ultricem; hinc, atque inde probandis
Expendit meritis aequato pondere lances,
Alnanum illa ſuum totum proponit in Orbem,

Quem

Digitized by Google

Quem ſeri memorent, admirenturque nepotes.
Juſtitiae Alnanus vindex fortiſſimus, omnes
Ut poenâ ſtuduit fraudes multare nocentûm,
In conjuratos Divini Numinis hoſtes,
Fulminaque, et gladios audaci ſtringere dextrâ;
Scindere et indociles Chriſti de Corpore; donis
Sic quoque perpetuis homines inlexit, et aere,
Virtutis ſtudium dum fecit amabile, ſummo
Dictavit ſolio ſanctarum oracula legum,
Queis populis retulit Saturnia regna. Sodales,
Plaudite io! Alnano, laetum paeana canentes.
Adgredior Templi interiora. Modeſtia, ſacrum
Hinc tibi conſtituo ſignum, quod priſca, recenſque
Grata ſupercilio aeternum mirabitur aetas.
Virgo verecundâ ſplendet pulcherrima formâ,
Cui faciem fingit decor, et veſtigia virtus
Dat manifeſta ſui, puro circum undique amictu
Majeſtas cinctam radiis melioribus ornat.
Hanc Charites omnes, longo ſimul ordine, ſtipant.
Alnani pars multa canit pietate juventam
Inſignem, et mores, natamque ad grandia mentem
Senſa, quibus praeclara dedit praeſagia de ſe.
Altera pars tabulamque auro, et ſandyce perungens
Alnanum pingit Romano murice tinctum,
Imperii ad culmen, quod ſceptra vicaria ſervat
Numinis aeterni, votis, precibuſque vocatum.
Pars illum haec formât renuentem culmina regni.
Facundum, doctumque Virum canit illa; Sodales,
Plaudite io! Alnano, laetum paeana canentes.
Religionem illinc ponam. Velamine puro
Undique ſtat contecta, comas praecincta nitenti
Caſſide virgineas; geſtat dextrâque minantem
Enſem, purpureâ pictum Cruce deinde ſiniſtrâ

Terribilem oſtentat clypeum, converſa furentes
In Fidei inſanos Chriſti non ſegniter hoſtes;
Subridetque ſuo plaudens jucunda Patrono.
Alnanus, cui cura gregis commiſſa, Sacerdos
Maximus, et ſuperûm vindex abolere ſategit,
Quae nova in antiquas ſpargebat dogmata leges
Haereſis uſa dolis, imo ex Acheronte reducta.
Muneris Alnani eſt, pietas quod Gallica tectos
Reſpuit errores; queis undique turbabatur.
Quodve uſque ad toto diſtantes aequore Sinas,
Trans gelidum Atlantem, extremi trans litora Gangis
Aſpera ſulcarint jam ſaepius aequora naves
Militibus foetae, Chriſti victricia ſigna
Qui procul impavidi, magna et myſteria Romae
Ultima portarint Aurorae in Regna. Sodales,
Plaudite io! Alnano, laetum paeana canentes.
Ingredior tandem, quà ſe venientibus offert
Extremus Templi ſinus. En ſeſe ardua tollit
Machina, quae ſuperûm labor optimus. Ecce renidet
Alnani effigies; vivum, qui viderit illum,
Eſſe putet: ſic ille oculos, ſic ora ferebat,
Quum gemino fungi viderunt munere gentes
Principis, ac Patris: quam dulcia nomina! fauſto
Quumque ſuam Alnanus cernebat numine Romam.
Proh qualis gravitas! vultus proh quanta venuſtas!
Praeſtantem formam, majeſtatemque verendam
Miſcet amabilitas labris ſuave indita: proh quam
Auguſtus! divos oculis Deus afflat honores.
Hinc, atque inde jacent congeſta volumina, forti
Scripta manu, docto perfuſa nitore Quiritûm,
Grajugenûm reſperſa ſale, antiquûm omnia Patrum
Decretis ditata, boni plena omnia ſucci.
O tantum celebrate Virum, gratique Sodales,

Plau-

Plaudite io! Alnano, laetum paeana canentes.
Arcades, Alnano laetum paeana canamus.
Noſtis io! noſtis, quam nos dilexerit ille;
Ut ſtudia, et mores, et noſtrae inſignia Gentis,
Summus ut innocuos paſtores Paſtor amarit:
Noſtis io! clarum quam Principe creverit illo
Arcadiae nomen; quam Regna per extera leges
Indiderit ſpectata ſuas; genteſque per omnes
Parrhaſii famam nemoris, vatumque ſuorum
Fuderit, intuleritque remotis carmina terris,
Noſtis io! noſtis, Patrui quod magna ſequuti
Exempla, unanimes nunc et tueantur, amentque
Arcadas, Albanâ geniti de ſtirpe Nepotes.
Floribus omne ſolum conſpergite; frondibus omnes
Hâc illâc operite vias; Templique recentis
Ornentur poſtes, ornentur tecta columnae,
Ornentur ſimulacra: dies hic laetus agatur:
Omnia laetitiae dent circum ſigna, reſultet
Plauſibus omne nemus, reſonet nemus omne verendum
Alnani nomen: voſque o bona turba, Sodales,
Plaudite io! Alnano, laetum paeana canentes.

CAR-

CARMEN IV.

* EPITHALAMIUM.

INclyta Parthenope, bello fortiſſima, et armis
Strenua, quam volitans celebravit Fama per Orbem,
Et ventura omnis merito venerabitur aetas,
Si quid adhuc noſtrûm te tangunt gaudia, frontem
Exſere feſtivam pelagi de gurgite, et omnes
Nympharumque choros, Tritonumque agmina tecum
Collige: Cymotheo reliquas deducat ovantes
Naïades viridi praecinctas tempora lauro.
Hymen adeſt, Hymenaeus Hymen, nardoque, amaranthiſque,
Atque roſis cinctus crines; fert quidquid odoris
Eoi ſervant Arabes, unctique Sabaei.
Fert peplum, et ceſtum, quae dulcia pignora amorum,
Certaque laetitiae ſunt nuptis ſigna maritis.
Hymen adeſt: praeeuntque faces: Hymenaee vocetur,
Dulcis Hymen, Hymenaeus Hymen, connubia curae
Cui ſunt, felici conjunxit foedere amantes.
Fauſtum connubium! Carafaeo ſanguini avitum
Nubit Cataneo praeclaro ab ſtipite cretum
Semideûm germen, clarum genus, et Jove dignum.
Audiit uda cohors: mulſerunt aequora conchis
Illico Tritones; Phorcique exercitus omnis,
Et Glauci luſere ſimul, Nymphaeque ſorores;
Afflictâ riſitque puer cum matre Palaemon.
Evoë bacchantes clamarûnt Dî maris omnes,
Perſonuitque evoë et ſcopulos, et litora circum:

O Sed

* In Nuptiis Antonii Carafae Trajecti Ducis, et Hyppolitae Cataneae e Principibus S. Nicandri.

Sed prima ante alias Sirenum maxima gaudens
Parthenope noſtro candentem in litore taurum
Conſtituit Veneri ante aram ſacram, extaque in undas
Porriciens patrias, et vina liquentia fundens,
Ac ſponſis gratata novis, ad plectra choreas
Duxit, et Aonium modulata eſt carmen, et omen.
Praeſidium noſtri, Patriae columenque, decuſque
Eximium, Antoni, pietate inſignis, et armis,
Sorte tuâ fruere: auguſto tibi ſtemmate, clara
Aetate, et ſexu major delecta Virago
Virginibus praeſtans reliquis, pulcherrima formâ,
Adſpectu veneranda, Patriſque, et ſanguinis heres,
Et morum, cui ſeſe audet componere nulla,
Jungitur. Italia en plauſu tibi perſonat; omnes
Carminibuſque ſuis Vates tibi fauſta precantur.
Nobile par Juvenum! Virtus par ſplendet utrique.
Non fuit Uxori tantae Vir traditus unquam,
Nuptaque nec tanto celebratur Virgo Marito.
Felices igitur Sponſi, nimiumque beati!
Vivite Neſtoreos annos: dent ſidera prolem
Innumeram: fauſtum hoc fortunent Numina votum.
O mihi ſi liceat ſubolis vultum, atque decorum
Os ſpectare: puer quot baſia utrique Parentum
Complexuſque dabit, referet quotque ille viciſſim;
Tum quot promeritas Patriae creſcentibus annis
Auctus ubi imperio ſimul, et virtute paternâ
Ipſe dabit lauro vinctus longo ordine palmas;
Quaeque alia, aeterni pandens penetralia Fati,
Augur carminibus mihi nunc inſpirat Apollo;
Forſitan ipſa meos, vota inter publica, plauſus
Laeta edens, canerem ſublimia facta nepotum,
Facta triumphali aeternum decoranda tropaeo.
Parthenope haec cecinit: pelagique evecta per undas,

Lapſa

Lapſa aſtris, vera ipſi proditur (1) *Hermeathena.*
Gratatur ſignis; iterumque, o plaudite, dixit,
Plaudite, Sponſus adeſt nuptâ cum Virgine: nam Vir
Si Majâ meliore ſatus nitet ore diſerto,
Quis vetat eſſe novam Hermetem? ſi ſanguine conjux
Et mente, et formâ reliquas ſupereminet omnes;
Dicetur merito ſummo ab Jove nata Minerva.

(1) Dandum Poetae hoc tantulum fuit veniae, ut pro Hermathena, quod hexameter non admittebat, una plus ſyllaba poneret Hermeathena, hoc eſt pro Ἑρμαθῆνα Ἑρμεαθῆνα non abſorpta vocali ε, haec vero ob conſequentem alteram vocalem correpta, ut Graeci ſolent.

EPISTOLA I.

AD

FRANCISCUM MARIAM SPINELLI

Scaleæ Dominum.

Diſtentus curis, et funere preſſus acerbo
Demaris (1) ingenii monumentis, laude decori,
Neſtoreâ decuit quem longius ire ſenectâ;
Leucopetram, ſtudiis procul, et popularibus auris,
Accedoque, lareſque tuos, Spinelle, reviſo,
Teque, lareſque tuos laeto clamore ſaluto.
His me conſolor victurus ſuavius, et jam
Ipſe tuus, Franciſce, domeſticus otior; omnes
Ex animo curas pellens, trepidoſque timores,
Alloquiiſque fruens blandâ dulcedine pectus
Quae mulcent, mentemque novo ſplendore coronant.
Abdita cauſſarum pandis primordia; ſummi
Et quae ſit natura Boni, vel origo Mali; nunc
Primae elementa aperis Sophiae; modo quod magis ad nos
Pertinet, et neſcire malum eſt, quid Relligioque
Nos doceat; quo ſe virtus concludat honeſti
Limite: dein medio quae vis libraverit Orbe
Immenſam terrae molem; quos ſidera motus

Ob-

(1) Hoc adpellabatur nomine Inter Arcades Gabriel a S. Fulgentio Eremita Auguſtinianus Diſcalceatus, Vir pientiſſimus, eloquii autem tanta elegantia, et rotunditate, ut jure ad juſti Oratoris ſpecimen aequandum, ejus Orationes typographicis formis impreſſas cupidiſſime deſideremus. Vati inter familiariſſimos fere primus, et ob animi candorem, variamque eruditionem gratiſſimus. Hic Academiam pro Deipara Immaculata quum abunde promoviſſet, et qua calamo, qua lingua impenſe excoluiſſet, cum omnium lacrymis, ac moerore elatus eſt.

Obluctata polo varient; natura tenebris
Quae occuluit: deque his quid priſca, recenſque Sophorum
Turba putet, quid Ariſtoteles, quid docta Renati
Mens, et Newtonus, Galilaeus, quidve ferant tot,
Tanta Arabum commenta ſcholis prope trita, palaeſtriſque
Uſque ad flagitium, et ravim, ſtomachumque; ſoles Tu,
Cetera quid memorem, quae commemorare? diſertis
Tempora colloquiis, perducere leniter horas,
Crede, placet, doctaſque audire, et reddere voces.
Garrius (1) *edoctâ circum cingente coronâ,*
Abdita qui monſtrat rerum, Sophiamque recentem
Taurini reſerat docto plaudente Lycoeo:
Garrius haec inter, vicinus narrat uti mons
Veſbius (2) *horrendum intonuit, ſi fornice moles*
Rupto corruat ima petens; ut ſaxaque, rupeſque
Altis diſſultant crepitanti murmure in antris.
Id fieri ipſe reor, multum quod ſulphur in alveo
Anguſte latitans telluris, cum ſale mixtum,
Cumque nitro, et ſaxis, pinguique bitumine, magno
Impete turbatum, violenti turbinis inſtar,
Nunc ſupra, infraque, et nunc circum commoveatur,
Et reboet: motu cognatis partibus haerens
Ignem concipiat, quem craſſa uligo, nitrumque
Semper, et aſſidue accendit, depaſcit, alitque.
Ignis et obnixus, conlatis viribus, inſtat
Pandere iter vetitum, ſuperaſque evadere ad auras,
Quâ pars debilior montis. Tum Garrius inquit,
Jam Veſevum Auſtrum verſus, facto agmine, magnum
Diſ

(1) Franciſcus Garrus Minimus in Regia Taurinenſi Academia Phyſices Profeſſor: Vir Mathematicis, Philoſophicis, ac Theologicis diſciplinis excultus: morum ſuavitate apprime carus.

(2) Legeſis editas Ephemerides de Veſuviano incendio, et eruptione, quae accidit Die XXV. Octobris An. MDCCLI. & dum haec ſcribimus Die V. Decembris adhuc perdurat.

Diſrupiſſe latus, terramque dediſſe ruinam;
Quâque dedit, ferme pice nigrâ, et ſulphure mixto
Miſiſſe ignitum fluvium; qui murmure nullo
Per tacitas ſerpit valles ſinuoſus, et ut ſe
Se ſenſim patrii demittit margine fontis,
Largius obliquos tum deproperare canales
Nititur, abſumens paulatim materiae vim:
Atque agitans molem, torrentes quinque per arctos
Diditur; hi fluitant undante globo, metuendum
Inque unum tandem coëunt furialiter alveum;
Proptereaque ignis praeceps flammante favilla
Exundans veluti flumen, ruit intus alens ſe;
Et terrae terram accumulans, ac montibus addens
Montes materiei, quae imo ſponte reſurgit
Gurgite, cuncta urit, proprios depaſcitur artus,
Depaſtos reparatque iterum extra, infraque meando.
Garrius haec noſter reperit miranda; frequenter
Scrutandi cupidus naturae clauſtra latentis,
Ut verum exquirat, propiuſque accedere tentet
Cauſſam, quae gignat tam multa incendia, montis
Adſcendit culmen, tentat per et ardua Vesbî
Ire juga; et quà nulla hominum veſtigia cernas,
Omnia conluſtrat; mirandum tum rapit omne,
Quod dignum viſu eſt, quamplurima ſaxa coloris
Multiplicis, mixtum nitro ſal, cetera, quae auſum
Difficiles aditus, atque intentata viarum
Exploraſſe docent. At doctus amiculus his de,
Mane novo ſurgens, medio quam Solis in aeſtu,
Et quum jam praeceps longas nox porrigit horas,
Nobiſcum loquitur, flammas, ignemque minacem
Vesbius interea eructat magno impete; ubique
Pulvere ſulphureo, nigranti pumice campos,
Vineta, et valles, villaſque impletque, tegitque:

Hic

Hic deſolatos uſtâ radice per agros
Areſcunt herbae, vites ſiccantur, et aret
Populus hic, jam vaſtata et ſunt omnia rura,
Everſa annorum ſpes plurima, cunctaque luctu
Plena colonorum, dominûmque ſonantia fletu.
Has inter ſtrages, inter lamenta, metumque,
Et lacrymas populorum, Phoebi percitus oeſtro,
Deiparae experti lutulenti criminis Adae
Votivum moerens hoc parvum nuncupo Carmen.
O quae ſupremi es Genitrix dilecta Tonantis,
O quae expers hominum primaevo crimine, Virgo
Inclyta conciperis, Sodomaea ſoſpes ab igne,
Quam praeſignavit ſancti veneranda domus Lot,
Reſpice, quas torrens gremio fervente favillas
Veſbius eructet, ſtragem, cladem que, luemque
Quam ferat agricolae miſero, campiſque, ſatiſque.
En audi gemitus imo de pectore fuſos,
Et crebris voces ſingultibus interruptas
Agrorum miſere exitium crudele dolentûm.
Scilicet incertos retinet ſpes una colonos,
Quam Divûm pietas auget; ſi ceſſerit haec ſpes,
Nos patriae fines, et dulcia linquimus arva.
Diva parens, noſtrae cui credita cura ſalutis,
Adfer opem miſeris; quid enim Tibi poſſe negatum eſt?
Si Tibi corde pio celebramus ſacra quotannis,
Signaque odoriferâ proni veneramur acerrâ,
Si laudes de more tuas, palmaſque ſuperbis
Quas jam devictis, proſtratiſque hoſtibus una
Vix concepta refers, modulamur carmine, rituſque,
Et coetus late inſignes tibi, Diva, ſacramus,
Sic modo Veſevi flammas, ignemque coërce
Numine, Diva, tuo: templis donaria, et aris
Figemus, manſura aevo monumenta futuro.

Quin

Quin etiam grandem tollet quoque Patria (1) *molem*
Teque colet ſemper, Te toto pectore amabit,
Divipara, o dulcis Divûmque, hominumque voluptas,
Praeſidium, ſpes, et rebus ſolamen in arctis.
Pauca haec ipſe meâ pro conditione loquutus,
Partheniae modulans perſolvi carmina Matri
Annua, delicias inter, placidamque quietem
Leucopetrae, ignivomum ſemper moerentia fixus
Lumina Veſevum verſus. Sat ſcripta: moleſtus
Ne longo ſermone morer tua tempora, neve in
Publica doctorum peccem quoque commoda, Muſis
Nunc vale jam dico, ut taceant. Quod reſtat, id unum,
O bone, nunc rogo te, ut matures edere, grande, et
Utile, quod meditaris Opus, divinius a re
Quo nihil, atque argumentis emittere poſſis.
Ergo age jam votis communibus annue; faxint
Te ſuperi incolumem, ut decora antiquiſſima ſtirpis
Spinelleae largiter amplificeſque, pareſque
Majora; antiquis noſtra haec ne tempora ſeclis
Invideant ditata tuis libris: age coeptum
Perfice Opus, quod te Dis immortalibus aequum
Efficiet, nomenque tuum ſuper aethera tollet.

EPI-

(1) Adluditur ad Molem marmoream nuper Urbe media, excitatam.

EPISTOLA II.

AD EUMDEM.

EXacto jam anni curſu Sollemnia tandem
Diviparae redeunt: lectiſſima turba, Sodales,
Quos blandi decorant mores, doctaeque Camoenae,
Dulcia Partheniae modulantes carminà Matri,
Priſco de more abs me ſueta Idyllia poſcunt,
Queis cantare olim ſolitus, quas ſtrato Acheronte
Vix Concepta tulit palmas Jeſſaeja Virago.
Sperabam, o genus Heroum qui ſanguine ducis,
Et Spinelleae decus, et nova gloria genti es,
Ocyus imperio parere; animoque verendâ
Jam meditabar ovans Templi ſub imagine, quod Rex
Condiderat Salomon Regum mitiſſimus, omnes
Parthenidis ſummas deſcriberè carmine laudes.
Hoc erat in votis. At fracti corporis aegri
Damna, et quae adtulerat violenta incommoda febris,
Nunc mihi Pieridum prohibent inviſere montes.
Plurimus hinc ſanguis venis effuſſus apertis
Atrâ bile niger; nec non triſtes Hypocaunae,
Glandis amygdaleae vis plurima, pluris acerbi
Et lini pingues ſucci; quos ſumſimus, herbas
His adde innumeras, auctore Machaone, mille
Pocula miſta, dies potataque flumina aquai
Per multos, potis et quod erit, truculenta maligni
Vis morbi ſub flore juventae extrema minantis
Funera, mutavit vires, minuitque vigorem;
Ut miſeram vix ipſe queam traducere vitam,
Et lucro apponam, ſi quod mihi vivere dent Dî:
Tot ſunt morborum facies, quibus undique, poſtquam

Convalui, miſere torquentur viſcera, febris
Ut vi nil ſtomachus recoquat jam debilitatus:
Exilit unde dolor totius corporis, ater
Pallorque, et macies, Hypocondriacae mala peſtis
Semina, tetra lues, et plurima mortis imago,
Id, quod erat veteris reliquum abſumtura vigoris.
Hinc omnes fermè medicas tentavimus artes,
Pharmaca nunc potiora mihi tentanda ſuperſunt.
Inventa expediam Medici, quae triſtia quanto
Sunt magis, hoc tanto citius finire dolores,
Aerumnaſque mali poterunt. Mihi Pharmacopolae
Dant vinum: vim mirandamque eſſe inſitam in illo
Conclamant omnes empirica turba; benigne
Annuo: concoctum eſt cum cortice Peruviano:
Additur huic Zedoaria, cui dedit India nomen,
Et mittit quae cana nocens abſinthia Pontus,
Ac ſena, atque acidum quoque tartarum, et illa celebris,
Barbaricâ de gente tulit quae nomina, Radix.
Inventum quoddam longe mirabile, nempe
Jungitur Arnoldi pulvis, ſat notus ubique
Vitriolo, chalybe, ac nitro cum ſulphure, queis fit.
Mane ſcypho vinum, medicis ſuadentibus, affert,
Cui mea fracta ſalus eſt credita; non ſine magno
Jejunus ſtomacho vinum ingratumque, moleſtum
Potu uno ipſe bibo: vino hoc quid amarius? i nunc,
Et Muſas votis revoca, precibuſque fatiga;
I nunc Parthenias Matris modulare triumphos;
Concine, uti labem totus contraxerit Orbis,
Et mortale genus foedarit ſeminis noxae,
Quâ caruit Virgo magnum paritura Tonantem;
Aurea felici referet quae gaudia Mundo.
Poſt multas noctiſque horas, pariterque diurnas,
Poſt ſcalptum caput, atque inferne, ſuperne lituras,

Poſt

Poſt quoque diſcerptos centenis morſibus ungues,
Carmina ab exhauſto veniant vix pectore, ſi qua
Et veniant, mihi crede, ſtylo propiora pedeſtri,
Nec veterum redolent emunctas ſcripta lucernas.
Has habui cauſas, ne ſcriberem, amica meorum
Et ne continuo Sociorum juſſa faceſſam.
Poſthac, naturam nimium mihi ne quis acerbam
Indigne objiciat, male preſſos, et ſine curâ,
Ac ſtudio hos verſus auſim componere, magnae
Parthenidi ut reddam promiſſum carmine Votum.
Diva, pii Vatis votivum ſuſcipe carmen,
Et quaecumque ferunt memores tibi dona Camoenae,
Solventes magno vitae pro munere grates
Amplexare, Dei Mater gratiſſima, nobis
Praeſidio ſemper miſeris ſuccurrere ſueta.
Quod ſpiro, valeoque tuum eſt: et, te miſerante,
Eſt mihi nunc ſpatium vitae; quin ſi qua medentes
Atque herbis, ſuccisque ſuis ex arte tulerunt
Auxilia, haec ad te redeant: per te modo vati
Parta ſalus: per te mortem ipſam avertimus ipſi.
Quod ſupereſt, ſtudiis, ſine queis mihi vivere amarum eſt,
Obſecro reſtituas: levius nam exiſtimo vitam
Exhalare ſemel, quam lenta areſcere morbo.
Id ſi contigerit, violas tum, et lilia, Virgo,
Alba liguſtra legam, calthaſque, addamque hyacinthos:
His tua feſtivis cumulabo altaria donis:
Tum templis, ariſque tuis late undique multo
Thure vaporatis vacuâ remeamus acerrâ.
Exin ſive diem ſurgens Aurora reducit,
Sive cadit noctis Veſper praenuncius atrae,
Carminibus, tu Diva, meis celebrabere ſemper:
Et quae te expertem lutulenti criminis Adae
Signa canunt, dicam. Vellus Gedeonis, et alti

Montis Horebaei vepres, et ſoſpes ab igne
Una Domus Sodomaeo, David et inclyta Turris,
Arca Noë, Speculum ſine labe, intactus Agerque,
Palma Cades, Libani Cedrus, Solymaeque Cupreſſus,
Omnia te clamant Patrum caruiſſe veneno,
Partheni... Sed refugit Muſa. O ubi Pieriam oeſtrum!
O ubi, Caſtalides, calor! o ubi fervidus ardor,
Phoebe, tuus! Voto jamjam deſiſtere coepto
Infelix cogor: faciles ad plectra Camoenae
Non veniunt, nec ſponte fluunt mea carmina, ut olim
Quae cecini: Franciſce, decus memorabile Avorum,
Adſpice abortiva, atque exſucca poëmata; cumque
Carminibus tibi judicium ſubtile videndis
Sit, Sophiaeque atros liceat penetrare receſſus,
Et quod Ariſtoteles, et habet divina Platonis
Pagina, quaeque ſuos docuere Mathemata amicos,
Noſcere Palladias artes, et temporis acta;
Per quidquid carum eſt, vel erit tibi, vel fuit unquam,
Per quod amicitiae ſanctum colis, obſecro, Numen,
Incomtae mittunt noſtrae, quae carmina, Muſae,
Corrige, nec ſpiſſis pudeat maculare lituris.
Sic tu Moecenas nobis eris alter, ut ipſe es
Pars animi melior. Tantum Deus Optimus uſque
Fortunet, foveatque Virum, tueatur, ametque.

EPI-

Digitized by Google

EPISTOLA III.

* AD

LODOICUM SABATINUM

Aquilae in Veſtinis Pontificem.

Quod felix, fauſtumque ſit, en Schettinus ab umbris
Aoniâ ſurgit redimitus tempora lauro.
Exere feſtivum lapidoſo e gurgite, Crathis,
Molle caput, Cycnumque tuum admirare canentem.
Id ſtudiis, Lodoice, tuis debemus, ab imis
Qui revocas tenebris, quae ſcripſit carmina Pyrrhus,
Atque diu occuluit terris ingrata vetuſtas.
Tu prohibes tot ſcripta mori, tu ſecla laceſſis
Exemplo ventura tuo; Tu ſubtrahis aevi
Morſibus, et praelo ſubicis monumenta Poëtae,
Qui ſua vel caneret Latio ſermone, vel Arni,
Carmina, Pierio ſemper de vertice lauri
Decerpſit geminam, Phoebo plaudente, coronam.
En coeptis, Vir magne, tuis laetatur, et orbis
Annuit, et plauſu magno comitatur, et urget;
Imperioſa ſilent victae diſpendia Lethes,
Seclorumque ſinus. Hujus Te gloria facti
Alta manet, ſeris quae ſurget major ab annis.
Macte animo, virtute potens, Lodoice, potenſque
Ingenio, donec numerique, et Apollinis artes,
Donec erunt Muſae, nomenque, et gloria plectris
Auſoniis, Latiiſque, tuas ad ſidera laudes
Ferre ſyracoſio tentabunt carmine vates.

Ipſe

* Pro novâ recuſione Carminum Pyrrhi Schettinii.

Ipſe ego virtuteſque tuas, tuaque inclyta facta
Interea tacitus mecum meditabor, et alte
Aurea, quae promis ſtudii monumenta perennis,
Suſpiciam. Caput hoc conſervent Numina, et uſque
Fortunent, ſeros vivat, valeatque per annos.
Hoc pro Te votum ſemper, Vir maxime, fundit,
Et ſuperos, ne caſſa unquam ſint vota, precatur,
Quem Tu jamdudum dulcem complexus amicum es,
Et tibi qui ſcribit Tyberino ex littore, Daſmon.

EPISTOLA IV.

* AD MIRAEUM.

Arcadiae Cuſtodem.

QUid noſtras, Miraee, vocas ad carmina Muſas
Jam reſides? Vatum quid me ſtipante coronâ,
Carminibus cogis praeclarum nomen Orildi
Concelebrare. Viri quid grandia facta Latinis
Dicere me cogis numeris, Tuſciſve Camoenis?
Vivere jamdudum Romana poëmata, Tuſcis
Et Muſis vale jam dixiſſe an te latet unum?
Sat ſtimulis animus, curiſque oppreſſus acerbis
Langueſcit miſere, mentemque negotia turbant
Sollicitudine diſtrictam, longâque pereſam
Triſtitiâ. Aſſiduo me non dolor unicus angit
Praeterea: paucis dicam: tres Rheumate menſes
Traduxi languens, nam flumina pituitai

Re-

* In funere Cl. V. Scipionis Maffei Veronenſis inter Arcades Orildi.

Digitized by Google

Replerûnt corpus totos effuſa per artus.
Pectoris in fundum ſe volvit pars, mihi guttur
Stringitur unde acri humectum raucedine, et unde
Tuſſis anhela quatit me, et faucibus angit obeſis.
Pars diverſa petit ſtomachum, hic demum et coaceſcens,
Excitat hyppocondriacae mala ſemina peſtis,
Obducit macie vultum, et liventia reddit
Lumina: ita heu! triſtis me plurima mortis imago
Territat: humoris pars effluit altera apertis
Naribus in mucum, et foedam reſoluta coryzam.
Me miſerum! quantus de vertice profluit humor!
Quae ſupereſt tandem ſuetos averſa meatus
Verticis indugredi tentat cauloſque, latebraſque.
Hincque novus, notuſque mihi non ante, moleſtus
Dimidii capitis dolor ingruit, haud ſecus, ac ſi
Mi foret in cerebrum, vi magnâ, impacta ſecuris.
Poſt tot curarum ambages, morbique dolores,
O bone, qui poſſim nunc cudere carmina, ſaepe
Quae uſque ad flagitium tu a me petis? o age ſodes,
Dic mihi, quid ſcribam emunctis modo naribus aptum
Ipſe tuis, aptumque rei, votiſque legentûm?
Quidve novi recinam? nihil eſt, quod cudere poſſim
Non aliis dictum, et quod non ſit ſaepe recoctum.
Miraer, Hyblaeo mihi nectare dulcior, aut ſi
Melle quid Hyblaeo ſit dulcius, ipſe moleſti
Debueras morbi fractum, laſſumque laboris
Praeteriiſſe bonus: laudes, et nomen Orildi
Concinat Arcadicis qui dat ſua nomina faſtis;
Et quos docta parit celebres Verona Poëtas.
Scilicet hi, quos Muſa levat ſublimius, omnes
Non renuent Pindum faciles conſcendere, Orildi
Ut celebrent manes, et ſolvant juſta canentes:
Hic generis decora, et ſtudio ſolerte Camoenas

Ex-

Excultas recinet, ſacri per devia Pindi
Teſqua, per Aonios lucos, et amoena vireta
Fortunatorum nemorum, quae laurus inumbrat.
Ingenium ille canet, quo non praeſtantius ullum,
Et quo nobilium ſcriptorum ſtrenuus ultor,
Si quae Grajorum ſunt antiquiſſima, ſi quae
Protulit et Latium, venerandâ in luce locavit,
Ceteraque obſcuris, ſi quae olim ingrata vetuſtas
Obruerat tenebris, deprompſit temporis acti
Interpres; canet iſte pios ſub pectore mores;
Quod tantum caput abſtulerit; mortem increpet ille,
Et damnet Parcam, ſecuit quod ſtamina vitae,
Euboici dignae tranſcendere pulveris annos,
Et Pylios ſuperare dies, Phrygiamque ſenectam.
Depoſito reliqui lugubri carmine dicent,
Inſignem meritis celebri ſuper aethera curſu,
Undique ſtipatum Divis, ſuperûmque coronâ
Adſcendiſſe Poli coeleſtia culmina Orildum:
Atque alii, occurriſſe Viro longo ordine dicent,
Quos peperit Verona Sophos, animamque beatis
Concelebraſſe modis: redimitum tempora lauro
Heroëm recinent alii, modo cernere claro
Lumine divina, humana omnia, quodve negatum eſt
Scire Sophis, aut, Nile, tuis, quoſve Hellas alumnos
Eduxit, vel magna tulit quos Graecia, ſeu quos
Auguſto genuit quondam ſub Caeſare Roma:
Haec, et plura canant Vates, decorentque ſupremis
Inferiis manes, ſeclis ut gloria duret
Innumerabilibus; longum vigeatque per aevum,
Qui clarum dignis peperit ſibi nomen ab actis,
Atque ſui deſiderium poſt fata reliquit.
At me deprecor ipſe, ſinas traducere inertem,
Quod vitae ſupereſt, contentus ſorte ferarum

Ipſe

Ipſe per obſcuras ſilvarum inglorius umbras,
Noctua ubi, et cornix, et teter carmine bubo
Obſtrepit, et picus, triſtis quibus adſonat Echo,
Deliciis procul, et ſcenâ; et vix cognitus ulli.
Dis tantum notus ducam mea tempora; deinceps
Me paſtoralis non unquam orcheſtra canentûm
Excipiet, ne compoſitos ſudante cerebro
Verſus illudat vulgus: ſuſpenſa ſilebit,
Olim noſter amor, nunc luctus, fiſtula ramis:
Sat modo ſcripta meâ pro conditione, nec ultra
Te moror, o valeas, noſtri laus inclyta coetus:
Teque diu incolumem nobis bona Numina ſervent.

EPISTOLA V.

* AD P. GERARDUM DE ANGELIS

E Minimorum S. Franciſci de Paulâ Familiâ.

HOc erat in votis ſapientûm, qui bene callent
Eloquii virtutem, atque ornamenta, Gerarde,
Aeque Oratorum, ac Princeps doctiſſime vatum,
Ut tua, nimirum, maturo examine dudum,
Judicioque acri librata, atque arte magiſtrâ
Efferres, doctis plaudentibus undique: praeſtas
Id modo, ſublimi pennâ cum ſumma capeſſens
Eximiae laudis faſtigia, dura laborum

* Pro ejus novâ, ac nitidâ recuſione cum ſacrarum Orationum, tum Carminum ex typographiâ Simonianâ.

Strenuus invadis, ſi quid ſudante Minervâ
Extudit ingenium, ſi quid tibi non bene comtum,
Si quid et obſcurum, aut rigidum, tumidumque videtur,
Factus Ariſtarchus lentus faſtidis, et acri
Cenſurâ exploras; et quod placet omnibus, illud
Haud tibi, docte, placet; rimaris, corrigis, atque
A veterum numquam ſecedens tramite, cenſor
Ad limam, trutinamque vocas tua ſcripta, modo quae
Caſtigata diu perfectum promis ad unguem.
Ut rerum natura parens nil edere magnum,
Spectandumque ſolet, longo niſi tempore adultum,
Sic tua tu rurſum praelis ſubjecta recudens,
Grande opus, et numeris perfectum jam omnibus edis.
Non hic ambages, non ſeſquipedalia verba,
Non et luxuries vocum, quod taedia gignat.
Omnia ſunt perfecta, exactum eſt omne ad amuſſim.
Eſt ratio ſcopus una, tuo quo tendere certas
Eloquio; quaeris Grajûm ſplendeſcere cultu
Divite, et ingenuo rutilas candore Quiritûm:
Sive revelati retegis myſteria Veri,
Seu divina ſacrûm celebras exempla Virorum,
Magna ſonas, nec abeſt fecundis gratia dictis.
Quot charites renitent! proh! quantus ſpiritus, ac vis
Tum verbis, tam rebus ineſt! haud ſcribis, inanem
Ut captes vulgi plauſum: tua ſcripta vigebunt
Perque manus verſata virûm, perque ora ſophorum,
Et nunquam exitio merget fortuna maligno.
Macte animis, vir docte, mei pars maxima cordis!
Gratior ut leni per flores prata ſuſurro
Qui ſtrepit, et mollem lentus fecundat arenam
Rivulus, immani quam qui rotat impete lympham
Praecipitem torrens lutulento turbidus aeſtu,
Immanis torrens, et deteſtabilis; ipſe

Sic

Sic Oratorum gratiſſimus uſque, potenti
Omnibus ingenio praeſtas, et moribus, unus
In te oculos, atque ora trahens dulcedine fandi,
Multiplici quoque rerum cognitione, ſacriſque
Divitiis Sophiae, et donis, ſtudiiſque Minervae.
Sed quid verba ferens, longo ſermone fatigo
Te, bone? vive animo ſemper dulciſſime noſtro,
Vive diu felix, doctiſque laboribus inſta.

EPISTOLA VI.

*AD BENEDICTUM XIV.

P. O. M.

QUum tot ſuſtineas, et maxima munia ſolus,
Res Fidei ſcriptis tuteris, moribus ornes,
Legibus emendes, quae ſunt adverſa Latinae
Religioni; equidem in populorum commoda peccem,
Si longo ſermone morer tua tempora, multo
Et tua, Sancte, diu compellam Numina verſu.
Haec de Diviparâ primaevâ ab origine labis
Immuni, accipias precor; et cum forte vaces (ſi
Reſpirare animus Te nunc tantiſper ab altâ
Rerum mole ſinit) collecta poëmata luſtres.
Sunt tua, quae vitreas cantat Crateris ad undas
Turba poëtarum diâ pro Virgine; nam Tu

* Provincia Neapolitana Auguſtinenſium Diſcalceatorum P. O. M. nuncupat collectionem Poëmatum pro Conceptione B. V. Mariae.

Pontificum primus ſpectandâ cùm pietate,
Ac ſtudio mentis venereris, et ore pudicae
Conceptum ſine labe Dei Genitricis, et hujus
Feſtum praeclaris cumulas quoque honoribus. Ergo
O age, nunc quidquid ſit, et hoc Vatum accipe munus:
Sat mihi, ſi facili vultu, auſpiciiſque ſecundis
Obſequium ſpectes, plauſu ac digneris amico.
O utinam, et quantum cuperem, poſſem quoque, parvum
Nec tua Majeſtas carmen contemneret; ipſe
Teque, tuumque decus ſeris memorabile ſeclis,
Aeternum meritos ponet cui Roma triumphos,
Perque omnem aetatem cantabit fama ſuperſtes,
Laudarem; et Te praeſidium, columenque mearum
Rerum, atque aetatis Patrem melioris, et Orbis
Pontificem canerem, qualem vix aurea jactent
Secula Chriſtiadûm, aut valeant ſperare Nepotes:
Sed pudor ingenuus non audet nobile carmen,
Et tua, quae ſummis Heroibus, et magnis Dîs
Te modo geſta aequant, prohibent tentare. Sit ergo
Sat voluiſſe: mihi hoc tenuis non gloria nempe eſt.
Ah! tantum ſerva, Deus optime maxime, Patrem,
Vivat enimvero, valeatque beatus, et omnis
Sitque Oriens, Veſperque ſimul Rectore ſub iſto;
Et mea ſub tanto ſors Numine laeta perennet.

F I N I S.

Digitized by Google

ORATIONES BINAE

DASMONIS ANDRIACI

P. A.

Digitized by Google

Digitized by Google

ORATIO I.

*Π Α Ν Α Γ Τ Ρ Ι Κ Η.

QUAMQUAM, Ampliſſimi Academici, voſque ceteri Auditores ornatiſſimi, ductu quodam naturae mens hominum veri ſtudio ſupra, quam credi poteſt accenditur, ac pertrahitur, unàque Veritate erigitur, ac recreatur: ob ingenita tamen paternae labis contagia neſcio quo pacto, et membrorum hac mole gravatur, et ſenſibus obnubilata, arceri ſe ab veritatis acquiſitione ſentit: ita non modo in rerum innumerabilium ignoratione verſatur; verum etiam in ſummos paſſim errores prolabitur, atque in rebus maximis decernendis, dum veri ſe ſpecie illudi patitur, falſis interim mordicus adhaereſcit. Sed, quod prae ceteris dolendum, ſi ſemel erraverit, vel ſemel hauſtam vero inimicam opinionem diu retinet, vel veritatem interdum per ſe illuceſcentem praefocat, et extinguit. Qua de re complures experimur, qui ſe jam ſumma adeptos, et mortalium ſapientiſſimos exiſtimantes, non ſolum quicquam ab ſe erratum agnoſcere turpe, atque indecorum ducunt; ſed etiam propriis praejudicatis conſiliis tantà pertinaciâ adhaerent, ut ne latum quidem unguem ab illis queant removeri; vel quia nil ipſis rectum, niſi quod ipſis placet, ducunt; vel quia turpe arbitrantur minoribus parere, quaeque imberbes didicerunt, nolunt ſenes ſpernenda fateri. Nihil tumentius, nihil audacius, nihil ſuperbius iſto hominum genere, quorum prae ceteris aetas haec noſtra feracior eſt, ac redundantior. Hinc profecto, Auditores, maximo Reipublicae literariae, ſcientiarumque damno tot emergunt errorum contagia, tot haereſum, et ſchiſmatum naſcuntur formae, ac facies, totque emanant vitiorum patrocinia maleſanis rationum offuciis, et pigmentis incruſtata; cum contra, ſi, [quod ſatius ſane, et ſapientius eſſet,] a cognito, et damnato errore illi diſcederent, quot nubes diſpelli, quot falſa revinci, quot vel dubia dilui, vel incerta conſtabiliri, quot denique obſcura in lucem proferri in omnibus diſciplinis, atque artibus ani-

* Habita Anno CIƆIƆCCXLVI. in Coloniâ Alebinâ Arcadum Neapolitanâ in laudem S. Patris AUGUSTINI pro ſtatis ei ſollemnibus.

animadverteremus? Enimvero, non ſummae conſtantiae, ſed maximae temeritatis, ac ſuperbiae argumentum non leve eſt, in excogitatis ſententiis ſeque, alioſque confirmare, ac ubique terrarum pleno verborum ſeſquipedalium hiatu aſſidue clamitare: quod ſemel dixi, qualecumque eſt, fixum ſit, ratum, atque perpetuum.

Quae cum ita ſe habeant, ſtrenuo Veritatis Vindici, ac maximo vigilantiſſimoque Fidei Cuſtodi AURELIO AUGUSTINO, de quo ſtatis hiſce ſollemnibus mihi dicendum eſt, ecquae poterit par Oratio inveniri? Ecquid erit, quod quiſquam aut dignum illo, aut vobis novum, aut cuiquam inauditum poterit adſerre? Enimvero hic prope divinus Vir, ſi quod ſuis in ſcriptionibus humana parum cavit natura, aut forte veritati non ſatis conſonum in eas irrepſerit, aperte, ac ingenue retractavit. Qua de re eo prae ceteris uti Sapientiorem nos modo illum celebramus, quod ſuis hallucinationibus non affixus adhaeſerit, ſed eas ingenue abdicaverit. Quod, ut quale, quantumque ſit, penitus intelligatis; magni Auguſtini ingenium, doctrinam, et auctoritatem vobiſcum reputetis oportet: quae tanta ſunt in hoc uno, quanta in omnibus reliquis ſapientibus, quos aut vidimus, aut audivimus, non fuerunt. Utinam, Auditores, eorum, qui me circumſtant, aliquis meo loco hac de re, quae per ſe momento, ac dignitate refulget, verba faceret, cujus Oratio, et plus ponderis, et minus invidiae eſſet habitura! Ea tamen prudenti utar moderatione dicendi, ut Oratorem quammaxime tanti Patris ſtudio adſectum decet. Multa enim aeternis digniſſima laudibus, quae ſane ſummam admirationem excitarent, attingam modo, ac delibabo; quamplurima etiam ſignificabo potius, quam oſtendam; pictores aemulatus, qui, quum ingentem hominum multitudinem in exiguâ tabellâ exprimunt, nonnullorum vultus tantum, atque ora, multorum ſumma capita depingunt, tota vero ceterorum corpora artificioſe abſcondunt.

Atque, ut inde Oratio mea proficiſcatur, unde haec omnis cauſſa ducitur: eximiam Auguſtinus ab naturâ mentem, mentiſque ſoliditatem, qua et ſeipſum, et extra ſe poſita intelligeret; atque divinorum capax, et artibus percipiendis aptum ſortitus eſt ingenium, ingeniique ἀγχίνοιαν, quâ, ſine inſtitutionis ope in ipſam rerum naturam intime penetrans, ab falſo verum, certum ab incerto, aequum ab injuſto diſtinguere ſic valuit, ut ſuum cuique et locum, et jus, et pretium perpetuo adſignarît. Ut primum enim ex gregibus epheborum exceſſit, et ſe ad ſcribendi ſtudium contulit, tam celeriter antecellere omnibus ingenii gloriâ illi contigit, ut famam ingenii exſpectatio

tio hominis, expectationem ipſius adventus, admiratioque ſuperaret. Quis enim hoc ſcientior unquam fuit, aut eſſe debuit? Quod ſub ſimulationum involucris Triſmegiſtus, ſub caligiñis velo Socrates, atque ſub myſteriorum tenebris tradidit Plato; id quoque, quod aut apud Pythagoram, Democritum, Ariſtotelemque reperitur; aut religioſiſſime recondunt Fabularum latebrae, Hiſtoriarum eventus, temporumque varietates, ac viciſſitudines; aut Scepticorum audet inſania, Stoicorum crepant paradoxa, Epicureorum nugantur enthymemata, demum Mathematicorum divinationes, Dialecticorum amphibolias, philologiam, totamque εγκυκλιον παιδειαν, nedum, ut quidam ait, nullo tradente magiſtro, perfecte imbibit, ſed etiam de ſuperiore loco adoleſcentes ea ſtudia auſpicaturos publice docuit. Teſtis eſt Carthago olim perquam celebris, ac eruditiſſimis hominibus, liberaliſſimiſque ſtudiis affluens, quam ille ipſe Rethorices inſtitutionibus non ſemel erudivit. Teſtis eſt Roma, quae ſuos in hoc uno, tantâ celebritate famae, et Catones, et Hortenſios, et Tullios revixiſſe iterum, atque iterum eſt admirata. Teſtis eſt Mediolanum, ob imperatoriam ſedem ab Valentiniano ibi ſtatutam, Urbs tum florentiſſima, ac aemula Romani faſtus, quae illum, *impertitâ etiam publicâ evectione*, Oratoriam artem docentem non ſine multâ laude ſuſpexit. Teſtis et ſaepius Africa, quae ipſius etiamnum literariis ſudoribus redundat, et quae ſaepiſſime quamplurimos Fidei hoſtes ab hoc uno ſuperatos, proſtratoſque conſpexit. Teſtes vero jam omnes orae, atque omnes exterae gentes, ac nationes; denique omnes inacceſſae Urbes, atque ab hominum conſortio remotiora regna, quo hujus tanti ac praeſtantiſſimi ingenii fama pervaſit.

Sed qui, hoc quale ſit, minus fortaſſis intelligunt, eorum, in Auguſtini libros, ora atque oculos nunc convertere jubeo, ut ex tam innumeris rebus, tamque late diviſis, ac diſperſis argumentis, quae pro dignitate in illis tractantur, ſpecimen ejus ingenii, quo de loquor, capere pro ſe quiſque poſſit. Etenim, modo Eccleſiae unitatis ſtudioſiſſimus Donatiſtas adgreditur; modo victricem Servatoris gratiam a Pelagianis impetitam adſerit, et tam copioſe, accuratiſſimeque id praeſtat, ut ipſam Paulli mentem in ejus ſcriptis ſpirantem admiremur; modo praeclariſſimum illud opus de Civitate Dei auro contra non carum dum elucubrat, Chriſtianam Religionem adverſus Paganorum dementias adeo erudite vindicat, ut in illis exortas etiam hodiedum recentium incredulorum amentias tanto ante expugnaſſe videatur. Quid enim? Introſpiciendae divinorum eloquiorum altitu-

do, cujus ſuperficies parvulis blanditur? ſublimi, acutiſſimoque, quo pollebat, ingenio introſpexit. Suboleſcentium Manichaeorum boni, malique principium refutandum? Strenue refutavit, atque ab radicibus imis avulſit. Arianorum inſolentia comprimenda? De Trinitate graviter, ſapienterque, pro maximâ rei dignitate, ac ſummâ ad omnium captum felicitate ſcribens, in uno proſtrato Maximino, herculeâ illam virtute ſuperavit, atque compreſſit. Omnia Pyrrhoniorum argumenta, et quae nonnullam ipſi moleſtiam faceſſebant, tum maxime, quum veritatem aliquando fuiſſet adſecutus, fortiter diluenda? Scriptis in Academicos libris adeo ſtrenue, excellenterque diluit, ut etiam, quae hac tempeſtate refricata Sceptici effraenes recoquunt, Auguſtinus enodaverit. Legibuſne Dei obſequium, rebus divinis religio, templis cultus, vitio dedecus, virtuti dignitas adſerenda? Haec, et plura citius perfecit, quam diceres, tum pro re, et ex tempore conſcriptis ſermonibus, cum datis Epiſtolis ad politiſſimos Viros cum eo ſtudiis eiſdem, unâ et vetuſtate amicitiae conjunctos. Ad me quod adtinet, fateor equidem, Auditores, mirum in modum in his perlegendis ſcriptionibus et voluptate, et ſtupore affici. Mihi quidem inauditum plane, ac incredibile videtur, unum hominem, eumque quamplurimis Chriſtianae reipublicae negotiis implicitum, tot, atque tantis conſcribendis libris, tum numero, tum genere admirabilibus, atque ingentibus ſuffeciſſe; et quod brevi tempore ſimul a ſe meditata inchoaverit, ſcripſerit, perfeceritque. Quis enim umquam arbitraretur, quae ab omnibus ſapientibus pertractari, agique poſtulabant, ab uno Auguſtino, uno tempore ſtrenue, feliciſſimeque ſic eſſe diſputata, nihil ut adjici praeterea poſſe videatur?

Quamquam, ut id, quod eſt maxime admirandum in Auguſtini ſcriptionibus, aperiam, nihil in illis faſtidioſum, nihil praepoſterum, nihil hiulcum; omnia rationibus vi graviſſimis aguntur, omnia miro inter ſe connectuntur artificio, denique omnia eo magis probanda, quo difficiles ſane res felicius explicantur. Politulis quibuſdam hominibus, quos vel una commovet vocula latinam granditatem non reſonans, Auguſtini oratio incomta, et rudis videatur. Atqui curent politioris Latii verba [ut in Adimantum ipſemet beatus Auguſtinus ajebat] rerum profanarum ſcriptores; idque, ut dedecens, negligant, quibus Catholicae doctrinae mundities, ac firmitas cordi eſt, quae ita in ejus libris reſplendet, ut merito ob eam, tum divinae Veritatis Doctor, tum Religionis acerrimus vindex dicatur, ac celebretur. Profecto, Auditores, neminem veſtrum adeo Eccleſiae in

rebus

rebus hoſpitem puto, quem lateat, Auguſtinianam doctrinam inſtar argentei fluvii, quem ex Dei ſolio ſcaturientem, ac ſanctam Jeruſalem laetificantem, inter Apocalypſeos myſteria Joannes vidit, ampliſſimo turgentem, atque exundantem alveo, non modo eos, qui utramque ripam incolunt, perluere; ſed etiam regiones, quâ eruditiſſimorum conventuum ubertate, quâ ſapientum frequentia nobilitatas, aquarum opibus pleniſſime ſecundare. An vero ignoratis, Academias, Pontifices, Concilia, Theologos, totamque Eccleſiam ab hoc inexhauſto fonte, cum humanae, tum etiam divinae ſapientiae doctrinam haurire? Eam autem erroribus immunem, ac Sanctarum Scripturarum auctoritati concordem, illiſque conſtantem omnes fateri? Quod ſi qui intemperatiore obtrectandi cupidine obcaecati, talparum in morem, quae caprearum oculos contemnunt, huic adverſari ſtudeant; an quidpiam de ejus praeſtantiâ detractum iri arbitramini? Vel ſic victrix eadem ſemper perſtat, et nullis procellarum turbinibus vel minimum concuſſa, aeternum ſuperſtes erit duratura, ut plane mihi incertum videatur, utrum hoſtes magis eam pugnantes timuerint, an victi dilexerint. Itaque, ut plura non dicam, neque aliorum exemplis confirmem, quantum Auguſtini doctrina valeat, ab illo haereſibus tam infeſto Tridentino Concilio, a quo Fidei ſumma pendebat, exempla ſumantur: quod, quo tempore tum errores a Lutherianis, et Calvinianis lacunis emerſos ſempiternis diris devovebat, cum pro priſcâ Patrum diſciplinâ, adverſus temporum corruptelam ſummo ardore, ac ſpiritu ſanctiſſimas morum leges ſanciebat, tantum reverentiae illi detulit, quantum ea doctrina mereri potuiſſet, quae Divinae tam affinis, tamque conjuncta videbatur.

Jam vero quod nomen unquam in orbe terrarum clarius fuit? cujus res geſtae pares? de quo ſapiente vos, id quod maxime facit nominis auctoritatem, tanta, et tam praeclara judicia feciſtis? An vero ullam uſquam eſſe oram tam exteram putatis, ubi clariſſimum Auguſtini nomen non depraedicetur? An ullam regionem, quo hujus divina, atque incredibilis virtus, perpetuaque in Chriſtianam rempublicam merita non commendentur? Atque, ut omnes intelligant, venerandam ſeculorum antiquitatem Auguſtini nomini tantum impertire laudis, et aeſtimationis, quantum forti haereſum debellatori, et ſapientiſſimo viro debeatur: dico, qui illum vix de nomine norant, datis ad eum literis, feſtinatos ipſi honores eſſe gratulatos; qui autem interius perſpiciebant, propius ejus auctoritatem eſſe demiratos. Satis opinor hoc eſſe laudis; at maximae, Auditores, ſi intelligatis, omnes,

 quot-

quotquot eâ Eccleſiae aureâ aetate non ſanctitate modo, ſed literis, et eloquentiâ claruere, magnis Auguſtinum nominibus inſignire, quae tanta ſunt, ut et magnitudine, et multitudine me plane obruant. Nimirum ejus libros ubique terrarum ſic admirantur univerſi, ut Paullinus divinitus dictatos credat; iis laetificari, inſtruique Heſychius deſideret; eoſque ut perlegant, Hincmarum, et Pardulum Prudentius Trecenſis Epiſcopus admoneat, atque obteſtetur, ne tanti ſcriptoris ſiligini ſuum ſurſurem audeant comparare. Quid? Idem ipſe homo *πολυγραφώτατος*, ut ceteros omittam, Chriſtianorum omnium ſapientiſſimus Hieronymus, ut Auguſtini ſcripturas in Pelagianos vidit, legitque, ſibi ſuperſedendum eſſe cenſuit, ne illud Horatii ipſi objiceretur: *in ſilvam ne ligna feras*: aut enim eadem ſe dicturum ait, quae Auguſtinus, ex ſuperfluo; aut ſi nova, jam a clariſſimo ingenio occupata eſſe meliora.

Nunc agite, Auditores, quoniam dictum breviter eſt de ingenio, doctrinâ, et auctoritate, conſiderate, quam Auguſtinus meruerit gloriam, quemque pertulerit laborem, quum ſcriptiones ſuas omnes ad examen revocare animo deſtinaverit, ut, ſi quid in eis, aut aliorum, aut ſuum offenderet judicium, cum quadam judiciariâ accuratione, partim reprehendendo, partim defendendo id ad incudem revocaret, ac cenſorio veluti ſtilo denotaret. At quidem niſi hoc ita magnum eſſe nunc fatear, ut id vix cujuſquam mens, aut cogitatio capere poſſit, amens ſim. Quis imperterrito id audeat animo? Quis provinciam hanc vel ſapientiſſimo cuique timorem injecturam ſubeat? Satis, fateor, Auditores, decernere nequeo; quin deſperarem profecto ni praeſto, glorioſo incepto perficiundo, ipſe adeſſet Auguſtinus, qui ſenio tandem confectus iterum ad examen, quae ſcripſerat, ut ſub omnium oculis ipſe ſe reprehenderet, ſedulo revocavit. An fortaſſis illi ingenium? an rationes? an cauſſae? an aureum deerat orationis flumen, quo ea, quae in ſua ſcripta fortuito, aut ſine conſilio irrepſerant, menda, pro vero probaret? Sed vir praeclariſſimus, ac ſanctiſſimus in ſe ſuaque judicis munere functurus, Sapientium omnium primus, cautiſſimâ retractatione ſuae mentis lapſus immortalitate donavit. Non ſacerdotii decus, non clarorum palma certaminum, non dicacium ſales, non inimicorum convicia, non gloriae libido, non denique labor ipſe (quae omnia ceteros remorari ſolent, ut ſubdole verſuteque errata occulant, ac ſuperbius promoveant) illum ab inſtituto curſu devocarunt, aut retardarunt. O virum ſane, ſupra quam a nobis vel dici, vel cogitari poteſt, admirabilem! O ſapientium maximum,

Digitized by Google

mum, et ſtrenuum erroris debellatorem! Ecquae tam ingratae literae, quae de tuis laudibus conticeſcant? ecqua tam ſtupida poſteritas, quae tuarum Retractationum libros non ſuſpiciat? ecqua futura eſt tam barbara, aut tam longinqua regio, quae tuum nomen, tuamque ſapientiam non admiretur?

Sed, ut hoc jam inſtitutum Auguſtini laudum argumentum quam late pateat, Auditores, conſideremus; innumeras ab eo partas haereticorum victorias ad memoriam revocemus. Domuit Pelagianos, vicit Donatiſtas, perfregit Manichaeos, proſtravit Arianos, deque aliis ex inferis emerſis tacendis potius, quam recenſendis haereſum monſtris ſtrenue triumphavit: ſed tamen ea vicit; quae et naturam et conditionem, ut vinci poſſent, habebant. Nullus eſt enim tam ſummus error, qui non veritate diſpelli, frangique poſſit. Animum vincere, aeſtimationis cupiditatem cohibere, praepoſterum ſcriptis inclareſcendi libidinem ſuperare, et ſe deceptum non modo ingenue fateri, ſed etiam errores diſerte literis conſignare: haec qui facit, hunc non ego cum ſummis viris comparo, ſed invictum, ſuique ipſius victorem judico; cum etiam ipſius victoriae conditio, viſque ab hoc uno devicta ſit. Itaque illuſtria Auguſtini tropaea celebrabuntur illa quidem, non ſolum noſtris, ſed pene omnium gentium literis, atque linguis; neque ulla unquam aetas de his conticeſcet. Nam, quod errores aut ſuo ſeculo pullulantes, aut deinceps, neſcio quo dicam ſiniſtro, infauſtoque Eccleſiae fato erupturos, ſuis libris contriverit; cum multis id commune habet, qui etiam graſſantes haereſes exterminarunt. At vero hujus gloriae, quam pro ſuis Retractationibus nactus eſt, ſocium habet neminem. Totum hoc, quantumcumque eſt, quod certe maximum eſt, totum eſt, inquam, Auguſtini. Nam hujus inſignis facti ipſe idem eſt et dux, et comes; quod quidem tantum eſt, ut tropaeis illius, monumentiſque nulla allatura ſit finem aetas.

Verum enimvero tantam, tamque praeclaram Retractationum gloriam, an ex ejus Confeſſionum libris diminutam arbitramini? Sed quem latet, eos, qui animum jam ſcientiis devoverunt, voluntatis peccata potius, quam mentis errores fateri conſueviſſe? Cum enim peccare humanum ſit, errare vero inſipientiae tribuatur, malumus communi hominum ignominià notari, quam ignorantiae pudore affici. Qua de re, magnum licet, ac decorum ſit non ea ſolum geſta, quae hominum oculis ſubjici potuiſſent, ſed etiam, quae, Deo ſolum conſcio, in intimis Auguſtinus agitaverat, tum bona, tum mala ἀγοντάδιως commemorare; longe tamen omnium maximum, prae-

praeclariſſimumque, ea , quae nemo Sapientium auſus unquam reprehendere , iterum iterumque incudi reddere ; atque ingenii errata aeternae poſteritatis memoriae ad perfectum unguem decies caſtigata committere.

Quibus de rebus tantis hunc ego hominem ad miraculum uſque Sapientiâ inſtructum , totque luculentiſſimorum ornamentis honorum, gloriae monumentis, laudumque inſignibus decoratum, per quam celebri Aquilae illi, a qua ſplendidiſſimâ divinae Gloriae currum convehi Sanctus Ezechiel vidit, non temere comparare mihi poſſe videor . Ac bene eſt , quod ut Aquilam pullos ſuos probare perhibent , quum eos ſuo ungue ſuſpenſos propius Solis radiis opponit , ut, qui firme Solem contemplati fuerint, filios agnoſcat, qui vero acie palpitaverint, velut degeneres ab ungue dimittat: ita Patrum Sapientiſſimus Auguſtinus eximios praeſtantiſſimae ſuae mentis foetus examinaturus , Aquilae in morem ſublimis ſeſe efferentis, eos ſapientiae fulgoribus objecit , et qui tantum periculum ſuſtinuerunt , adprobavit; rejecit autem, quos debiles ac infirmos reperit . Agitedum , Auditores , ut olim Davidis ferrum caeſi, ac proſtrati gigantis ſanguine decorum, pro omnipotentis Dei aris ſuſpenſum ab victore fuiſſe ferunt, ne ulla unquam aetas tam opimae victoriae memoriam obliteraret; ſic et Retractationum libri, velut Auguſtini immortale tropaeum , ob oculos mortalium ubique dependeant, ut ſapientiſſimi Viri laudes vigeant praeconio ſeculorum omnium , tamdiu quidem certe, quamdiu monumentum hoc ſera poſteritas intuebitur . Ego interim, [cui dicenti veſtrâ humanitate hactenus impenſe faviſtis; qua de re gratias habeo] qui immanem exundantium laudum Oceanum reformidans, vix leviori tantum remige litora, ſinuſque perlegiſſe ſatis ſum arbitratus , Orationis meae vela contraham . Quid enim multis opus eſt, quum ita prorſus ſe res habeat, quemadmodum initio inſtitui dicere? Itaque pro eo, ac debeo incredibilem hanc, inauditamque Auguſtini Victoriam , ac Veritatis , quam unice ſemper deperiit , perenne teſtimonium , admiror, atque deoſculor ; ac certo certius mihi ipſi ſpondeo, non deſore, qui tantum triumphum , donec terrae ſtabunt , in terris celebrent, atque depraedicent. Quod ſupereſt, adſis precor, o maximum ſapientium omnium, et noſtri praeſidium, Auguſtine ; gaude iſto tuo tam excellenti honore, ac fruere tantâ gloriâ , quam tuo nomini Retractationes uberrimam pepererunt . Tum denique porro beatiſſime, ac ſanctiſſime Pater, perge modo, ut facis, noſtram rem literariam tueri , ac ornare: cumque per

per clariſſimos, ac eruditiſſimos [a] Viros, ſummis juxta, infimiſque plaudentibus haec a nobis modo ſuſcepta ſtudia meliora nomini tuo ſacra eſſe velimus, fac, ea magis ac magis augeantur, planeque perficiantur.

Fallitne animus, Auditores? Jam Auguſtino vindice, ac Patrono, ſpes aliqua meliorum temporum nobis affulget: jam novus ordo ſeculorum oriri videtur: jam novum noſtris literis decus; jam ſcholaſticae quiſquiliae ſordere; jam pulchrior ſtudiorum noſtrorum facies, et color incipit adparere. Faxit Sapientiae largitor Deus, ut noſtris laboribus ſub Auguſtini auſpicio ſuſceptis, tandem aliquando, ut quidam ait:...... *Victa fatiſcat = Barbaries. rodatque ſuas irata catenas*; donec ex hac ignorantiae, vitiorum, diſſidiorum, atque aerumnarum caligine, in quà miſere volutamur, erepti, eo perducamur, ubi de fonte lucis indeficiente potabimus: quod omnium votorum ſumma eſt, et caput. Dixi.

ORA-

(a) Hi ſunt P. Joannes Evangeliſta a Matre Dei, et P. Joſeph a Jeſu, et Marià Viri cum omni eruditione, tum ſingulari pietate illuſtres.

O R A T I O II.

* Π Α Ρ Α Ι Ν Ε Τ Ι Κ Η.

QUod omnium veſtrum ego nunc [Patres religioſiſſimi, Auditores, quotquot adeſtis, et doctrinâ , et virtute praeſtantes , Voſque Muſis dicati , et ad magna ſurgentes optimi juvenes bonarum artium candidati] quod omnium veſtrum ego nunc in frequentem conſpectum multo equidem mihi jucundiſſimum prodii , vereor, ne ita accipiatis, ut audaciam in hac parte potiſſimum miremini ; verecundiam, quae cuique ex hoc ad agendum ampliſſimo , atque exornatiſſimo loco dicendi vel maxime cordi eſt , deſideretis . Etenim , quum nihil huc, niſi perfectum ingenio , limatum judicio , doctrinâ perpolitum, elaboratumque induſtriâ adſerri debeat; quid cauſſae erit, quin , quum haec omnia minus quam mediocria mihi ſint, vel ea nec in me reperiantur prorſus, mei egomet oblitus, meaeque imbecillitatis, a laudabili Oratorum omnium receſſiſſe pudore longe alicui videar? Veruntamen hac me in re recreat plane, ac reficit, quod in eâ nimirum Civitate dicimus , quae ſemper bonarum artium ſtudio , literarumque laude non ſolum aucta eſt, ſed etiam conſtituta, atque firmata; ac eo potiſſimum in loco, unde ex omnibus Sapientium ordinibus lectiſſimi quique circumſpiciuntur, qui rem noſtram publicam literariam conſtituunt ; eoque tandem Orationis argumento, quo nihil jucundius , nihil praeſtantius, nihil poteſt excogitari divinius: quae omnia ut me erigunt, ita , pro ſollemni ſtudiorum noſtrorum Inſtauratione , ad commonefaciendam ſtudioſam juventutem , atque ad diligentiam magno animo excitandam , etiam atque etiam hortantur . Atque id certe quidem aſſequar, ſi ex omnibus, quae pro loci hujus temporis ratione agitari laudabiliter argumenta poſſunt, illud mihi vobiſque, quibuſcum agam, peropportunum ſeligam , quod in maximis ad optimas artes adjumentis verſatur , quae juvenibus noſtris tum in patriae telluris praeſtantiâ ; tum in Sacerdotali, ad quam contendunt ,

* Habita Neapoli pro ſtudiorom reſtauratione in collegio Patrum Excalceatorum S. Auguſtini, Anno CIƆIƆCCXLVII.

Digitized by Google

dunt, dignitate; tum vero in religioſâ vitae ratione, quam inierunt modo proponuntur. Utinam, Viri ampliſſimi, ac humaniſſimi, quod ex animo tractandum adgredior, ſuffragio veſtro ita comprobetis, ut unà ex hac Oratione cum incitamentum, tum fiduciam illi capiant ad eas diſciplinas excolendas, quae vobis omnibus, veſtrae dignitati, huic Urbi, avitaeque religioni quamplnrimum nominis, gloriae, ac fructus attulerunt.

Si qua unquam Italiae pars, vel bonarum artium altrix, vel parens exſtitit ingeniorum ad omnem doctrinam, eruditionemque comparatorum, ea profecto fuit Neapolitana regio, qua politiorum cultu, qua clariſſimorum Virorum celebritate florentiſſima. Nam quum in eâ terrarum orbis parte poſita ſit, quae ob Coeli indulgentiam mitiſſimas temporum viciſſitudines, commutationeſque habet, merito illam habitatoribus largitur corporum, ingeniorumque concinnitatem, atque compagem, quam literarum ſtudia etiam, atque etiam requirunt. Tum quidem certe Neapolitanorum ingenia nunquam torpent, neque ſunt ad ſublimia hebetiora; tum vero nec nimio fervore concitata in luxuriem effunduntur, atque ad ineptias, levitatemque decidunt ac dilabuntur; ſed ita eorum alacritas, ſolertiaque cum judicio conjungitur, eorumque induſtria labore contemperatur, ut non modo nihil illis difficile, nihil arduum, nihil impervium, aut inacceſſum videatur; verum artibus etiam inveniendis, inſtaurandiſque, reliquis omnibus politioribus Populis quaſi ſignum aliquod clariſſimum ſuſtollant, iiſque palmam ſine controverſia praeripiant. At ne hoc Patriae noſtrae mea tribuat Oratio, quod commune illi eſt cum reliquis regionibus, quae et praeſtantiſſima olim protulere ingenia, et ſqualidâ tandem exuta barbarie bonas artes excoluerunt; ſunt et alia quamplurima nobis praecipua, quibus eximiam, qua de loquimur, felicitatem unice ipſi debemus. Profecto, Auditores, quum facultatibus perdiſcendis id magnopere conducat, in terris nimirum verſari earum rerum feraciſſimis, quae adjumento ſunt, ut ad ſcientiarum ſacra aditus pateat; num alia uſquam gentium erit regio, quae harum rerum literatarum amplitudine, ac praeſtantiâ cum Neapolitanâ ſit comparanda? Unus, ita me Deus amet, patrius ager quot, quanta, quam admirabilia, jucundiſſimaque naturae ſpectacula exhibet? Quid inſolentes fontium facultates, admirandas mephitum vires, ac inſignia ſtirpium genera commemorem? Quid aquarum medicatarum ſcatebras dicam? Quid ignium eruptiones? Quid foſſilium, quae dicimus, corporum redundantiam? Anne quis noſtris in rebus adeo hoſpes

Digitized by Google

ſpes eſt, qui ignoret, tum quae Puteolanus ager, tum quae Aenaria Inſula, tum quae Veſuviani ignes, tum quae Brutiorum amnes, demumque quae portenta edat, explicetque tota quanta quanta eſt Apulorum tellus? Quibus quum nos undique natura circumdet, tum ſeſe nobis nonnihil pandere videtur; tum vero ſuum librum verſandum ſub oculos ponit, in quo omnes noſtrorum Phyſicorum curae rectiſſime impenduntur.

Neque dumtaxat hoc ſtudium a vobis patriae telluris praeſtantia exſpectat; neque eo poteſt eſſe contenta. Si cui veſtrum, Auditores, veterum aetatum res geſtas, florentiſſimorum Populorum mores, cultarum gentium indolem, et clariſſimorum imperiorum monumenta intelligere animus ſit, quod ſane ſtudium eruditionis plenum hodiedum habet cultores multos, num veterum Graecorum Sapientum inſtar ſuſcipiendae vobis longae peregrinationes? Campania unice luſtranda eſt; unice peragrandum Samnium; atque Apulia, et Lucania unice obeunda. Atque hic partim immanium Barbarorum ferro, incendiiſque, partim inſulſiſſimorum hominum parricidio lacera, corrupta, quaſſata, et per ſummum ſcelus convulſa etiam templorum, gymnaſiorum, portuum, aquaeductuum, tropaeorum, pontium, amphitheatrorum, et fornicum rudera ſuſpicietis; atque illic et mutila marmorum epyſtilia, et diruta balnearum apodyteria, et minutatim conciſos ſepulcrorum cippos, et fracta, pulverulentaque Deorum fana, aras, ac ſimulacra, et literatorum lapidum fragmenta auro contra non cara, quae et Numinum, et Conſulatuum, et Magiſtratuum, et rerum domi, militiaeque celebratarum, denique totius venerandae antiquitatis teſtes erunt aeterni. Itaque ex his ruderibus, quae poſt tot vaſtitates adhuc aetatem ferunt, ac in miſeris ſuis afflictiſque, reliquiis adhuc priſtinae Neapolitanorum magnificentiae veſtigia praeſeferunt, manifeſto cognoſcetis, nullum patriae hujus telluris tam obſcurum fluvium, nullam tam dirutam Urbem, nullum tam abjectum pagum, nullum tam infrequens oppidulum, atque adeo glebam, ut ita dicam, aut ſaxuli fruſtum eſſe nullum, quod cum Romanorum, tum Graecorum monumentis illuſtratum non ſit, ac pene conſecratum. Quod ſi haec tam multos ingenioſos, ac eruditos homines, eoſdemque immenſo terrarum tractu a nobis disjunctos famâ ſuâ invitare conſueſcunt, ut ſe difficillimis itineribus, ac periculoſiſſimis navigationibus committant, modo ut ab exteris nationibus ad nos veniant, videantque ſemel oculis ſaltem tot laceras, ac disjectas reliquias apud veteres ſcriptores tertio quoque verbo celebratas, quod ita exiſtimant, ſe melius, ac perfectius

ctius Graecorum, Romanorumque Hiſtoriam intellecturos: Vos, lectiſſimi Adoleſcentes, qui Neapoli vivitis; Vos, qui Neapolitano Coelo ſpiritum ducitis; denique Vos, qui antiquae virtutis, ac majeſtatis monumenta quotidie adſpicitis; Vos, inquam, haec vel ignorare, vel negligere, vel Barbarorum exemplo peſſumdare non verebimini? Age vero, ſi abſolutiorem parare ſcientiam antiquitatis quis cupiat, quanti, quaeſo vos, Auditores, laboris erit ab hac duorum elegantiſſimorum populorum Hiſtoriâ, ad Hiſtoriam omnis generis, aetatis omnis, omnium populorum, temporum, ac locorum ſeſe conferre? Nam quum ceterae florentiſſimae Nationes amicitiam Graecarum gentium, atque Romanarum ſanctiſſime excoluerint, imperio diutiſſime deſervierint, atque officia, leges, inſtituta, commercia, doctrinas, ſacra etiam obſervaverint; vel ex hac unâ Hiſtoriâ aliorum antiquorum, et inſignium Populorum geſta quiſque facile non conjiciet ſolum, ſed multo etiam magis addiſcet.

Jam vero, Auditores, ex tantâ patrii ſoli opportunitate, ut Hiſtoriae cognoſcendae, ita et commodum capient noſtri juvenes excolendi Graeci, Latinique ſermonis, atque humanarum literarum, quae penes innumeros praeſtantiſſimos viros hodiedum retinentur. Etenim nos ea gens ſumus, quae proxime tum ſanguinis communione illas Nationes contingit, tum vero in illarum gloriam, et famam, in mores, et inſtituta, in eruditionem, et artes haereditario jure vocatur. Nobis proinde Romanae gravitatis venuſtas omnium Populorum linguis depraedicata; nobiſque Graecarum diſciplinarum ornatus profecto eſt ſuſtentandus, excitandus, inſtaurandus. Quibus ſi accedant et Coeli hilaritas, et camporum perpetuo virore veſtita planities, et clivorum, colliumque adcubantium cuneatio, et totius denique telluris, in quâ nati, alti, et educati ſumus, amoenitas, ac felicitas; dubitabimuſne, Neapolim noſtram eo ipſo olim exſtitiſſe, atque aeternum etiam futuram vetuſtiſſimum, ac celeberrimum politiorum Muſarum domicilium? Pleni ſunt omnes libri, plenae ſapientum voces, plena vetuſtas exemplorum, quae et ſummos, elegantiſſimique plane ingenii Poëtas, et Oratores commemorant; atque eorum vobis imagines, optimi Juvenes, non ſolum ad intuendum, verum etiam ad imitandum proponunt. Vos igitur pudeat, ſi in his ſtudiis excolendis animum, mentemque veſtrâ ipsâ cogitatione hominum excellentium non ita conformetis, ut aliquid ex his ad communem adferre fructum, in adſpectum, lucemque proferre, et hanc noſtram Patriam ſaepe veſtrâ laude cohoneſtare poſſitis.

Sunt haec maxima: neque vero minora ſunt illa ad optimas artes adjumenta, quae in Sacerdotali dignitate, ad quam enixe contenditis, Adoleſcentes, modo vobis proponuntur. Sane, Auditores, ut, quod intereſt, fatear, quum Sacerdotes nedum Populis praeeſſe, conſulere, atque opitulari, verum etiam et ſacra quaeque a Chriſto, ab Apoſtolis, atque ab Apoſtolicis viris tradita, et per plurium ſeculorum curſum ad nos uſque deducta conſuetudine firmata colere, amplificare, et ornare debeant; ea doctrinae, virtutumque ſubſidia parare ipſorum refert, quibus inſtructi conſiliorum ſuorum, et praeclari, religioſique propoſiti tandem fiant compotes. Quamobrem faciendum eſt, ut Sacerdotii candidati Dei tabernaculo ſervituri, iis excolantur ſtudiis, quae ad Eccleſiam tuendam, ad errores exſtirpandos, ad religionem propagandam, illuſtrandamque eos poſſint adjuvare. His enim facultatibus inſtituti, qui ad ſanctiſſimum Sacerdotium acceſſuri ſunt, hoſtes adibunt, expugnabunt, refellent, ſuperabunt; rem totam publicam Chriſtianam magis atque magis firmabunt; denique rebus divinis ſplendorem, et Apoſtolicae diſciplinae decus tantâ virtute adferent, quantâ veteres Sacerdotes hujuſmodi munia laudabiliter obiiſſe Hiſtoricorum monumenta confirmant. Quae cum ita ſint; ecquid, Auditores, ſacrorum Codicum lectione vel praeſtantius, vel opportunius, rogo vos, erit, ad tantam provinciam animo initam dudum ab noſtris Alumnis, quum tempus advenerit, re comprobandam? Nam ſive de illis agatur Religionis Chriſtianae principiis, quae a naturâ omnes docemur, quis ea feliciter adſtruat, niſi qui ſolidâ divinorum eloquiorum cognitione animum excoluerit? ſive ad illas deinde Veritatis divinae partes, quae tum a Moſe, et Prophetis, tum vero a Chriſto, et Apoſtolis revelatae ſunt, deſcendatur, quis doctrinae illius praeſtantiam, et ſanctitatem viriliter promulgare queat, niſi qui librum omnium diviniſſimum, quo uno ad ſalutem indigemus, ſine intermiſſione verſaverit? Ex hoc profecto, tamquam ex ditiſſimâ ac locupletiſſimâ penu, veritates vel maxime depromuntur, quibus Chriſtianorum doctrina inſtituitur, ac firmatur; ex hoc arma, quibus irrumpentium adverſariorum impetus propellitur; ex hoc remedia, quibus ſuboleſcentibus malis, vitiiſque ſubvenitur; ex hoc pabulum, quo homines paſcuntur; ex hoc denique omne pondus, vis, atque decor, quo Chriſti Eccleſia ſtat, permanet, atque, ubicumque eſt gentium, depraedicatur.

Quod ſi vero de interpretandis ſacri Codicis tabulis agatur, quo id tandem auxilio fiet, quo id ſucceſſu tentabitur, niſi iis intellectis

lin-

Digitized by Google

linguis, quibus libri illi conſcripti ſunt; niſi iis cognitis moribus, inſtitutis, placitis, ad quae auctores illi alludunt; niſi collatis Interpretibus, Criticiſque, qui locis obſcuris lucem foenerentur; demumque niſi iis in ſubſidium vocatis primoribus Chriſtianae Religionis Patribus, qui non ſanctitate modo, ſed literis, et eloquentiâ claruerunt? Ac ſane, quis tantae verborum obſcuritati in ſacro Codice adhuc haerenti, ut par eſt, lucem, ornatumque inferat? quis tot prave detortas recentium Rabbinorum ſententias refutet, niſi qui Hebraicum orationis genus, et ceterarum Orientalium linguarum vetuſtates didicerit, atque egregium ſanctarum Scripturarum ſtudium perfectiſſime etiam calluerit? Quis innumeras loquendi formulas vel ad regionum ſitus, vel ad receptas Nationum conſuetudines, vel ad ſollemnia, ſacrorumque Myſteria ſpectantes animo adſequi valeat, niſi qui Hiſtorica monumenta, quantum licet, perveſtigaverit? Quis vel Beli, vel Nembrothi, vel Cyri, vel Artaxerſis, vel Dariorum, vel Judithae facinoris tempus conſtituat; quis, quando Aſſyriorum, quando Perſarum imperia coepere, certo pronunciet? quis Babylonicae captivitatis aetatem ſtatuat, Danielis hebdomadas numeret, ipſumque etiam Chriſti Servatoris noſtri adventum definiat, ſexcentaque alia obſcuriora, quibus de tantâ Sapientum diſſenſione certatur, ut eorum moleſtum ſit dinumerare ſententias; niſi qui Critices ſacrae ſtudia impenſe excoluerit? Quis demum univerſam eam, quae in Scripturis eſt, perſpectam habeat Chriſtianorum doctrinam, quam ipſi ab majoribus noſtris incorruptam, inviolatamque accepimus, et ſarctam tectam profitemur, niſi qui primorum Patrum libros nocturnâ, et diurnâ manu verſaverit, eorumque ſcita ſedulâ meditatione perſpexerit? Hi enim, non minus pietate, quam ſapientiâ clariſſimi Viri, ſi de revelatis dogmatibus differant, profecto quid ſapientius? ſi de morali doctrinâ, quid ſalutarius? ſi de in ſpeciem pugnantibus invicem conciliandis lectionibus, quid adcomodatius? ſi de iis denique verbis, quae ſingula Chriſtiani nominis hoſtes callidiſſime oppugnant, et alio torquent, quid ad ſacrorum Myſteriorum dignitatem promovendam aptius? Ita, Auditores, ut, ſi tot in Angliâ, in Galliâ, in Belgio, in Helvetiâ, in Germaniâ, et in noſtrâ etiam eruditiſſimis hominibus, liberaliſſimiſque ſtudiis affluenti Italiâ non eminuerint modo hactenus, ſed et emineant adhuc Viri ſummi, qui in ſacris libris exponendis ſibi immortale nomen, Eccleſiae maximum emolumentum, reique publicae Literariae eximium decus pepererunt; id totum ſane bene

quantum eſt, quod quidem maximum eſt, non alii magis auxilio, quam illis omnibus acceptum referendum eſt.

Quid poſtea, Auditores, ſi Adoleſcentes noſtri Sacerdotio initiandi omne ſuum tempus Sanctorum Patrum ſtudiis tranſmittant? Quantus hinc [proh Deus immortalis!] diſcendorum campus? quanta hinc rerum admirandarum ſeges? quanta hinc Chriſtianae eruditionis copia occurret? Tum quae fuerint Religionis primordia, quae leges, ac ſanctiones inſtitutae; tum quicquid in ſingulis ſeculis vel dictum, vel creditum ab noſtris in Chriſtianâ Republicâ anteceſſoribus; tum vero eximia ab illis geſta in Eccleſiae procuratione apprime noſcent, ac ſuſpicient. Deinde etiam, modo omnibus, qui unquam vixerunt in antiquitate ſacrâ Heroibus comites quaſi ſemper aderunt; modo illorum ſermonibus, congregationibus, praeliis, cunctis tandem factis, dictiſque, ſi non oculis, at animo ſaltem praeſentes intererunt. Et revera, quemadmodum Tullio, quum in Academiae ſpatiis perambularet, quae maximi, et famâ digni Sapientes tum commorando, tum rebus geſtis nobilitarânt, hortuli propinqui non horum memoriam ſolum afferebant, ſed ipſos etiam videbantur in conſpectu ſuo ponere; qua de re illum accepimus ſaepius heic exclamare ſolitum: Hic Speuſippus; hic Xenocrates; hic Auditor ejus Polemo, cujus ipſa illa ſeſſio fuit, quam videmus: ita Patrum ſcripta perlegentibus ob oculos verſabuntur eorum imagines, atque qua laetitiâ, qua admiratione inter legendum abrepti ipſi merito, ac jure inquient: Heic Athanaſius ſedulâ ſuâ perſpicultate docuit: illic Baſilius, quâ pollebat, miti ſuaviloquentiâ diſſeruit; ibi Cyprianus ſcripſit; hic Auguſtinus diſputavit; illic tonuit Nazianzenus; ibi ſponte profluentis aureae orationis copiâ hominum corda demulſit Chryſoſtomus; heic Arius damnatus, victus Pelagius, Eutyches profligatus, atque de Neſtorio triumphi, tropaeaque relata; illic invicti Martyres mortem occumbentes ſanguinis ſui pignore Chriſto Divinitatis teſtimonium dederunt; ibi Pontificum numine convocata Chriſtianorum ſapientum Concilia; denique heic Eccleſia magnis, et multis incommodis conflictata, ut ilex duris bipennibus tonſa per damna, et neces ab ipſo ferro opes, et animum duxit. Quid multis opus eſt, Auditores? Ut non aliâ melius ratione, quam Patrum teſtimoniis Eccleſiae Hiſtoria confici poteſt, atque illuſtrari; ita, qui ad Sacerdotium contendunt, non aliâ feliciori viâ, quam Patrum lectione rei totius publicae Chriſtianae praeclariſſima monumenta intelligent.

His igitur doctrinae generibus expoliti lectiſſimi Adoleſcentes ſenſim

ſenſim eâ imbuentur ſcientiarum principe Theologiâ, quae vel ex ipſo nomine divinum aliquod ſonat, et auguſtiſſimum Sacerdotibus unice dignum. Non eâ tamen, Auditores, quam ex putidâ Arabum ſcholarum barbarie, ac lacunis miſere exortam conſpexerunt anteacta ſecula; ſed, cui nativâ jam reſtitutâ majeſtate, tot, tantaque decora diu augentur, nihil ut noſtrorum temporum diligentiâ, dicam an felicitate? in illâ deſiderari praeterea poſſe videatur. Abſit vero, optimi, quotquot adeſtis, rectique rerum judices, abſit, ut hoc meo dicendi genere majoribus noſtris, maximis ſane Viris, atque memoriâ dignis, juſtas unquam laudes detraham; quorum pietati, eruditioni, ac vigiliis quicunque pretium ponet, nos non modo adſentientes, ſed licitantes quoque experietur. Attamen illud adſerere auſim, longe nobis plura, plura longe commoda, et incitamenta ad divina tractanda ſuppetere; qua de re quantum lucis rebus ſacris importatum ſit, vix cujuſquam aut conſequi mens, aut cogitatio capere, nedum oratio complecti poterit. Enimvero, quantis ſive de dogmatibus, ſive de officiis, voluminibus, quorum vel ut titulos enarrando indicem ſaltem, dies me certe, lateraque deficerent, ditatae modo ſunt Theologorum Bibliothecae? Fateor equidem, opinionum monſtra nunquam forte tot exſtitiſſe; at Sapientes ſimul exorti ſunt, a quibus herculeâ virtute monſtra illa ſine dubio perdita ſunt, magnificeque devicta. Αθεϊσμος [horreſco referens] ſuos hac aetate habuit patronos, ac doctores: at Chriſtianae Religionis Veritas nunquam tot ſcriptionibus, nunquam tot argumentis, nunquam tantâ virtute adſerta, et vindicata. Quid non auſa? quid non molita? quid non intentavit Haereſis, ut vel novos errorum dolos procuderet, vel jamdiu antiquata, et obliterata ſpecioſius comprobaret, vel recentia, eaque periculoſiora, ac foediora dogmata callide, arguteque proferret, vel ſaltem in Religionis negotia aut tolerantiam, quod ſcelus, aut rerum omnium dubitationem, quod flagitium, immitteret? At nunquam ſubtilius controverſiae agitatae ſunt; nunquam tot, tantaque ex puriſſimis ſacrorum Codicum, et comprobatae Antiquitatis fontibus hauſta ſunt; nunquam impietas tam multis libris profligata, atque ad extremum prorſus adducta; nunquam etiam tam magnifice error divinae Veritatis triumphis famulari viſus eſt.

Satis, ſuperque mihi multa verba feciſſe videor de veſtris, optimi Adoleſcentes, a patriâ, in quâ vivitis, et Sacerdotali dignitate, ad quam contenditis, commodis, atque ornamentis; reſtat, ut de veſtrae vitae ratione ab ineunte aetate ſuſceptâ dicendum eſſe videatur; cujus qui-

quidem ad diſciplinas fovendas momentum tantum eſt, ut cetera omnia praeſidia longo ſuperet intervallo. Atque quum, quae mihi tractanda ſuperſunt, bene longâ Oratione agi deberent, fortaſſe non incommode; certos tamen quoniam ipſe mihi fines, eoſque per quam breves, praeſcripſi, nimiumque diu videor in ceteris Orationis partibus verſatus eſſe; ut ſatietati aurium, animorumque veſtrorum occurram, reliqua omnia in unum, quod ceterorum caput eſt, quoad potero, breviſſime conferam. Vos, ſpectatae indolis lectiſſimi Juvenes, ex eâ eſtis familiâ, quae Auguſtinenſis dicitur; Vos ejus nunc vivendi rationem profitemini; Vos ſtudiorum veſtrorum ducem, patronumque illum elegiſtis maximum literarum decus, ac praeſidium, Aurelium Auguſtinum, virum quidem non communi, hominum conditione natum, ſed coelo demiſſum, qui divinarum, humanarumque rerum ſtudio incredibilem in omni virtutum genere exercitationem non ſine miraculo conjunxit; Vos, inquam, ad literarum ſtudia ſeveriſſimâ contentione excolenda, quid aliud requiratis, plane non video. At quid a vobis haec, aliaque multa, eaque praeclariora, ac praeſtantiora divinitus in vos collata beneficia requirant, etſi dicere modo praetermitterem, ſatis tamen ex vobiſmet ipſi perſpiceretis: diligentem nempe, ſedulamque Auguſtini librorum lectionem.

Ubi enim primum ad illius ſcripta verſanda animum quis veſtrum appulerit, ibique modo Philoſophum, modo Hiſtoricum, modo Philologum, modo peritiſſimum divinorum Codicum Interpretem, modo ſacrarum antiquitatum diligentem inveſtigatorem, modo Theologum omnibus numeris abſolutiſſimum Auguſtinum viderit; fieri non poteſt, quin ſentiat illico certos, validoſque animi impetus, quorum monitu ad illas facultates viribus omnibus contendat, quibus Patria, et Sacerdotium quemque veſtrum intime imbutum exoptant, prae incenſiſſimâ, quâ flagrant, voluntate publicae cum Regni, tum Eccleſiae utilitatis. Quis autem adeo excors erit, ut, quum tot, tantaque, tamque recondita videat, legatque rerum divinarum, atque humanarum argumenta extricata, aptâque oratione veſtita, non ſentiat, quae ſit in doctiſſimi, ac ſapientiſſimi Auguſtini ſermone eloquendi vis, quod robur, quodque momentum? Quis non excitetur, erigaturque majeſtate ſententiarum, gravitate verborum, rationum pondere, multiplicis doctrinae apparatu, multiſariae eruditionis delectu, denique orationis copiâ, et grandiloquentiâ? Quis non recreetur, ac commoveatur ſolidâ illâ, tutâque veri inquiſitione, ac inveſtigatione, quae quantum in Auguſtino renideat, oratione dici vix poteſt? Ut hac

unâ

Digitized by Google

unà lectione ad omnem intelligentiam aditum explanari, atque aperiri ſapientibus quamplurimis optimo jure viſum ſit, et ſummà etiam cum felicitate tentatum, probatumque.

Enimvero, ut, hoc unum quale, quantumque ſit, percipiatis; revocate, quaeſo, animo, Auditores, atque excitate memoriam Aegidii Romani, Gregorii Ariminenſis, Thomae de Argentina, Gerardi Senenſis, Paulli Veneti, aliorumque, quorum ſcripta ob multiplicem ſacrorum eruditionem, ac profunditatem digniſſimis laudibus celebrantur. Mementote eruditiſſimorum hominum Panvinii, Caniſii, Seripandi, Noriſii, Chriſtiani etiam Lupi, qui omnes Hebraicis, Graeciſque literis, ac Latinis pene ad miraculum imbuti, reconditarum Eccleſiae antiquitatum, divinarum ſcientiarum, ceterarumque politiorum facultatum cognitione, in ſe omnium admirationem converterunt. Mementote etiam Alipii Tagaſtenſis, qui unà cum Auguſtino delectus adverſus Donatiſtas, ac Pelagianos tanto rei totius Catholicae fructu diſputavit, ut ob partas victorias merito illi Hieronymus Chriſtianorum ſapientiſſimus gratulatus ſit. Mementote Proſperi Aquitanici cum ligatà, tum proſà oratione haereſis Semipelagianae ſtrenuiſſimi triumphatoris: mementote Fulgentii, qui Arianorum fraudes eximie profligavit, ac ſinceram Divinae Gratiae doctrinam ex Auguſtino medullitus hauſtam adſeruit, et acerrime etiam vindicavit. Quamquam quid de his loquor ſacris aeternitati nominibus? Recordamini viri ſanctiſſimi, ac eruditiſſimi Thomae Aquinatis, qui propter morum pietatem, propter facultatem ingenii, et propter doctrinae abundatiam tantum eſt apud omnes nomen, auctoritatemque conſecutus, ut eum nobiliſſimae Academiae, et noſtra praeſertim Auguſtinenſis, ex omnibus unum delegerint, quem ducem, ac praeceptorem longe praeclariſſimum ſectarentur. An hos cenſetis, Auditotes, ex alio uberrimo fonte, quam ex Auguſtini libris hauſiſſe quicquid in univerſo ſcientiarum genere ſcitu jucundiſſimum explicarunt, digeſſerunt, amplificarunt? Adpellate horum omnium vel unum ſaltem, qui ab Auguſtino mutuatus non ſit, quod acri meditatione digeſtum, ad concipiendam rerum pulcherrimarum, ac difficilium intelligentiam, ſummà ſolertià, ac dexteritate protulerit. Enimvero hac in re, ſi quid ſapio, ita conſtituendum puto, Auditores; hos omnes, quod Auguſtini libros ſollicite, attenteque ita legerint, ut Auguſtini interpretes videantur; iccirco in extricandis divinarum literarum arcanis, in exponendis ſacris Eccleſiae antiquitatibus, in Chriſtianorum dogmatum Sapientià perpoliendà, denique in rebus omnibus ad Religionem ſpectantibus tradendis,

dis, explicandis, illuſtrandiſque tantum profeciſſe, quantum profecto ſummâ Sapientium acclamatione profecerunt. At quid his immoror.? illud meximum eſt, quod ipſimet Religionis hoſtes adeo Auguſtini lectionem praeſtantiſſimam exiſtimant, ut quum effractis, atque proſtratis pietatis majorum monumentis, omnia jura divinaque, humanaque incredibili ſcelere violare contendunt, nihil nobis, niſi Auguſtini ſcripta objiciant, eorumque quaſi teſtimoniis impietatem ſuam confirmare doloſe, ac malitioſe conentur. Annon ipſi inepti plane erimus, niſi paribus armis arma retundamus; eoſque peregrinis, ac malitioſis interpretationibus miſere ſeductos ab inſidiis, fallaciiſque liberemus?

Quae cum ita ſint, oro vos, obteſtorque, optimae indolis, ac magnae ſpei lectiſſimi Juvenes: (Vos enim, quorum maxime cauſſâ tota haec nobis inſtituta eſt oratio, modo potiſſimum compellam) conſervate, quantum in unoquoque veſtrum ſitum eſt, atque adeo incumbite ad ſtudium dignum ingenio, dignum aetate, dignum ſplendore veſtro, nobilitate patriae, majorum gloriâ. Quantum ceteris ad ſuas res obeundas, quantum ad voluptates, quantum ad ipſam requiem animi, et corporis conceditur temporum; quantum alii tribuunt frivolis quibuſdam, ac futilibus ſtudiis; quantum denique eorum librorum lectioni, quibus rerum divinarum, publicarumque officia pervertere, ac labefactare nonnulli perditi homines, ac nequiſſimi adnituntur; tantum Vos operae, laboriſque meliori conſilio ponite in Auguſtini libris verſandis; quorum ſtudium peculiari ratione omnino veſtrum eſt. Utinam eâ, quâ par eſt, ſedulitate in id incumbatis; jam ſolida ſacrorum notitia mentes veſtras circumfundi; jam feliciori conatu veſtra ingenia ad veritatis perceptionem aſſurgere; jam ſcholaſticas quiſquilias aſpernari; jam politiorum literarum eruditione imbui, vos mihi profecto videmini. Id autem ut egregie praeſtetis, cogitate quantis laboribus fundatum ſit hoc noſtrum Collegium; quantâ virtute ſtabilitae apud nos politiores facultates; quantis commodis aucta hoc tempore veſtra ſtudia. Ecquid enim ad majora literarum incrementa deerit? An magiſtri? at doctiſſimos, ſapientiſſimoſque praeceptores habetis tanto veſtrae eruditionis ſtudio incitatos, vt veſtri ſolum cauſsâ quotidie conlaborent. An Bibliothecae? at, ecquem veſtrum lateat quamplurima in hac Urbe patere Muſarum ſacraria, tum libris editis, tum Manuſcriptis Codicibus, tum Iconibus, tum nummiſmatibus, tum exquiſitâ ſuppellectile non leviter aucta, exornataque, ac felicibus auſpiciis publici juris jam facta. Quare agitedum, et multiplici ſcientiarum cognitione animos veſtros diſcendi avidos paſci-

paſcite. At ſi unquam (Deus Optimus Maximus infelix, infauſtumque omen avertat) ſi unquam deſidiae illecebris ab ſtudiis veſtris vos arceri praeſenſeritis, eam patriam tellurem, quae Sapientiae gloriam ab vetuſtiſſimâ origine ductam ſummo ſemper ſtudio tuita eſt, eam ſacerdotalem dignitatem, ad quam viribus, ac votis omnibus incenſiſſime contenditis; denique eam, quam jam in Auguſtinianâ familiâ iniiſtis vitae rationem, conſiderandam vobis jubeo: atque hoc ad totam excolendam ſapientiam ſtimulos vobis admoveri per quam vehementes experiemini, ut et Patriae, in quâ vivitis, et Sacerdotio, ad quod adſpiratis, et Auguſtinianae familiae, cujus vitae rationem profitemini, decus, gloriamque magis, ac magis augeatis. Si quis autem veſtrum eo ingenio, ac fortunâ praeditus non ſit, ut, omni etiam adhibitâ induſtriâ, et conatu, tantarum rerum doctrinam conſequi minime valeat, aliquam ſaltem vel mediocriter referat; ſi nullam, ſatis illi glorioſum votis promeruiſſe; ſi nec denique promeruerit, honeſtum valde, atque decorum curam omnem, ac diligentiam ad promerendum collocaſſe. Dixi.

F I N I S.

ELEN-

ELENCHUS

EORUM, QUAE HOC VOLUMINE CONTINENTUR.

Praefatio.		pag. I.
Ecloga.	*Reditus in Urbem.*	VII.
Decas I.	*Idylliorum.*	
Idyllium I.	*Adam.*	pag. 3
Idyllium II.	*Noe.*	7
Idyllium III.	*Maria.*	10
Idyllium IV.	*Debora.*	16
Idyllium V.	*David.*	21
Idyllium VI.	*Elias.*	25
Idyllium VII.	*Judith.*	29
Idyllium VIII.	*Salomo.*	33
Idyllium IX.	*Maria.*	37
Idyllium X.	*Jeruſalem.*	41
Decas II.	*Eclogarum.*	
Ecloga I.	*Neëmi.*	47
Ecloga II.	*Parthenis.*	50
Ecloga III.	*Epiſtrophe.*	54
Ecloga IV.	*Ruſticatio.*	59
Ecloga V.	*Votum.*	64
Ecloga VI.	*Euthymius.*	68
Ecloga VII.	*Symbola.*	72
Ecloga VIII.	*Tycidas.*	77
Ecloga IX.	*Lycidas.*	80
Ecloga X.	*Noricius.*	83
Decas III.	*Carminum, et Epiſtolarum.*	
Carmen I.	*Auguſtinus.*	87
Carmen II.	*Lamentatio Virginis.*	93
Carmen III.	*Alnauus.*	99
Carmen IV.	*Epithalamium.*	105
Epiſtola I.	*Ad Franc. Mariam Spinelli.*	108
Epiſtola II.	*Ad Eumdem.*	113
Epiſtola III.	*Ad Lodoicum Sabatinum.*	117
Epiſtola IV.	*Ad Miraeum.*	119
Epiſtola V.	*Ad Gerardum de Angelis.*	122
Epiſtola VI.	*Ad Benedictum XIV.*	124
Oratio I.	Πανηγυρικη.	127
Oratio II.	Παραινετικη.	136

A01 1465596

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google